EX RESPONSIONE SYNODALI DATA BASILIÆ ORATORIBVS D. Eugenij PP. IV. in congregatione generali III. Non. Septembr. M. CD. XXXII.

De auctoritate cuiuſlibet Concilij generalis ſupra PP. & quoſlibet fideles, pars præcipua.

Et in eam Commentarius.

COLONIÆ.
Sumptibus Theophili Franci.
M. DC. XIII.

Digitized by Google

B.

AVCTOR.

HVNC libellum examini & iudicio Eccleſiæ vniuerſalis; ſanctæ ſedis Apoſtolicæ; Scholæ Pariſienſis; cuiuſlibet Eccleſiæ particularis; & Scholæ, in nomine Chriſti congregatæ, ſubiicio. Scripſi certe, nec vllius amicitia motus, nec vllius odio. Quis enim dicat amicitiã eſſe cũ eo, quẽ bis duntaxat me vidiſſe memini? Quod odium in eos, quos de facie nõ noui, & quos vel officio deuincire, ita mihi ſit Chriſtus propitius, percuperẽ. Veritati duntaxat dicatus eſt; cuius amantiſſimus ſum. Quod ſi erraſſe cõtigerit, nam quis erroris expers? profiteor me correctionem expectare. Quã ſi quis fraternæ caritatis

Digitized by Google

immemor neglexerit, ſciat ſe reum futurum coram ſummo iudice Chriſto Ieſu, quod ſecũdum præceptum diuinum erranti non monſtrauerit iter. Si autem ambitu, aut veſano liuore veritas, aut vi opprimitur, non timebo quid faciat mihi homo: nec erit ingratum fere ſexagenario, & varia valetudine affecto, quod vitæ ſupereſt, veritati, quæ eſt Chriſtus Ieſus, conſecrare.

Digitized by Google

INDEX EORVM QVE continentur in hoc commentario.

I. *Cauſæ, propter quas ſynodus Conſtantienſis decreuit ſynodos fieri de decennio in decennium: Et cur, & à quibus, coactum ſit Concilium Baſilienſe: Et ratio huius ſynodalis reſponſionis.*

II. *De hierarchia* Eccleſiæ.

1 *Petrus caput Eccleſiæ.*

2 Eccleſia *Romana princeps aliarum Eccleſiarum.*

III. *De monarchia Eccleſiaſtica.*

1 *Monarchia* Papæ *non eſt abſoluta.*

2 *Monarchia ſpiritualis, & temporalis, quomodo differunt.*

3 *Clauium vſus ſecundum Canones.*

4 *Papa obnoxius Canonibus Conciliorum particularium, quæ* Principes *auctores habuerunt.*

5 *Appellationes ab abuſu.*

6 *Monarchicum regimen* Eccleſiæ *eſſe Ariſtocratico temperatum, ex veteri Lege.*

7 Ex *Matthæi* 16. *Dic* Eccleſiæ.

Digitized by Google

8 Ab æqualitate Apoſtolorum.
9 A Petri accuſatione.
10 Ex vſu primitiuæ Eccleſiæ.
11 Ex Theologorum, & Iuriſconſultorum, deciſionibus.
12 A ratione naturali.
13 A iuriſdictione Eccleſiæ in Pontificem.
14 Ex Canonibus Conciliorum.
15 Quid Primas?
16 De epiſtolis Anacleti.
17 Apoſtolica ſedes, quid ſit?
18 De donatione Conſtantini.
19 Vniuerſales, ſeu Oecumenici Epiſcopi.
20 Durandi falſitates.

IV. Papam eſſe per Eccleſiam.
1 Primatus Petro datus ab Eccleſia.
2 Ex conſuetudine, multæ prouinciæ ei ſubiectæ.
3 Explicati c. 6. & 7. Nicenæ ſynodi.
4 Vnde ea conſuetudo.
5 Appellationes Epiſcoporum, à Concilio Sardicenſi.
6 Oecumenici nomen, à Concilio Chalcedonenſi.
7 Quod dicatur capus, à ſanctionibus Im-

Digitized by Google

peratorum.
8 Iuriſdictio, ab Eccleſia.
9 Electio Pontificis.

V. Superioritas Concilii ſupra Papam.
1 Quod Papa ſit filius Eccleſiæ.
2 Teſtimoniis Pontificum.
3 A iuriſdictione Eccleſiæ ſupra Papam.
4 In illum iuriſdictione, non tantum propter hæreſim, ſed ob alia crimina, gaudere Eccleſiam, ex ſacra ſcriptura.
5 Synodorum auctoritate.
6 Doctrina Scholarum.
7 Vſu Eccleſiæ.
8 Iuriſconſultorum deciſionibus.
9 Sanctionibus.
10 Appellationibus à Papa ad Concilium.
11 Enumeratio nonnullarum appellationum.
12 Ex Auguſtino, & Conciliis.
13 Superioritatem Cōcilii eſſe veritatē fidei.
14 Superioritas Concilii ex iure Pontificio.

VI. Verba, Petra, Claues, Soluere, Ligare, Paſcere, non ſoli Papæ conuenire, ſed Eccleſiæ.
1 Ex Auguſtino. Et interpretatio commu-

Digitized by Google

nis c. quodcunque, 24. quæſt. 1. defenditur aduerſus Vallam.

2 Ex *Cypriano: & vendicatus Cyprianus à corruptionibus Vallæ, & Durandi, in c. Loquitur 24. quæſt. 1.*

3 Ex *Hieronymo, & aliis* Eccleſiæ Doctoribus.

4 Ex *Scriptura.*

5 *Duodenarius numerus.*

6 *Chriſtus, &* Petrus, *petræ, diuerſa ratione.*

7 *Chriſtus petra eſſentialis.*

8 Petrus, *& cæteri* Apoſtoli, *petræ miniſteriales.*

9 Petrus *petra dicitur ſignificatiue, figuratiue, & repræſentatiue.*

VII. *Infallibilitatem ſolius eſſe* Eccleſiæ, *non* Pontificis: *&* Eccleſiæ, *vt infallibilis, eſſe condere Canones.*

1 *Multi* Papæ *in errorem lapſi, vt* Papæ.

2 *Male accepta* Scriptura *à Durando.*

3 *Lucas interpretatus in verbis,* Rogaui pro te Petre, vt nõ deficiat fides tua.

4 *Cyprianus male interpretatus à* Durãdo.

5 *Hieronymus male acceptus à Durando.*

Digitized by Google

6 *Quid ſit Cathedra, & ſedes Apoſtolica.*
7 *Quando Eccleſia Romana in errorem labitur.*
8 De *Petro Oxomenſi.*
9 *Concilia non cõfirmata à sũmo* Pontifice.
10 *Cuius nomine decreta concilij publicãda.*
11 *Cuius eſt* Canones *condere.*
12 *Canonum executio, & interpretatio.*
13 *Auctoritas Conciliorum particularium in condendis* Canonibus.
14 *Sex Conciliis generalibus Pontifices non præſediſſe.*
15 *Epiſtolæ decretales* Pontificum *à quibus, & quatenus, obſeruatæ.*
16 *Argumenta Vallæ confutata.*
17 *Defenditur Richerius, quod dixerit, à Gregorij* VII. *temporibus ignorantiam in* Eccleſiam *irrepſiſſe.*

VIII. *De doctrina Ignatianorum contra tria decreta ſynodi Conſtantienſis.*

IX. *Electiones eſſe iuris diuini, & naturæ, & non Canonici.*

X. *De poteſtate* Papæ *in Reges, & Re-*

Digitized by Google

gum in Pontifices.

1 Papatus, & Imperium, à Deo ſunt immediate.

2 *In primitiua* Eccleſia, & *Imperator à* Pontifice, & Pontifex *ab Imperatore, arguebatur.*

3 *Cum ſynodus non poteſt cogi ad reformationem* Eccleſiæ, *quid agendum?*

4 Animaduerſio *in Reges, & Pontifices, qualis?*

5 *Vires excommunicationis.*

6 *Nulla iuriſdictio Pontificis in Reges.*

XI. Caput miniſteriale & inſtrumentale Papa in Eccleſia.

1 *Chriſtus caput eſſentiale.*

2 *Clauis eſſentialis.*

3 *Petra, & fundamentum eſſentiale.*

4 *Ædificator eſſentialis.*

5 *Paſtor eſſentialis.*

6 *Oſtium eſſentiale.*

XII. De duabus Clauibus, ſoluente, & ligante.

1 *Finis.*

2 *Subiectum*

Digitized by Google

XIII. *Confutatio argumentorum Pontificiæ Monarchiæ.*
1 Tu es Petrus & ſuper hanc petrã, &c.
2 Paſce oues meas.
3 *Canone Nemo, 9. quæſt. 3.*

XIV. De *diſciplina Eccleſiaſtica, ſynodorum coactione, & de his qui ſynodis intereſſe poſſunt.*
1 P*ublica diſciplina* E*ccleſiaſtica*, P*rincipum, &* E*piſcoporum.*
2 *Imperatores*, P*ræſides in* C*onciliis Oecumenicis.*
3 *Iuriſdictio in* C*lericos.*
4 *Synodorum coactio.*
5 *Sex generalia Concilia coacta ab Imperatoribus.*
6 *Conſenſum* P*õtificis non eſſe neceſſariũ.*
7 D*e epiſtola Marcelli.*
8 A*d quem commodius ſpectat ſynodum cogere.*
9 P*resbyteros admitti in Concilium.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RESPONSIO SYNODALIS DE AVCTORITATE CVIVSLIBET Concilij generalis ſupra Papam, & quoſlibet fideles: quodque ſine eius conſenſu non potuit diſſoluere Concilium Baſilienſe dominus Eugenius Papa quartus.

SACROSANCTA GENE-*ralis ſynodus* [1] *Baſilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.* I.

*

NVNC autem ad propoſita per venerabilem Archiepiſcopum Tarentinum dicendum reſtat. In primis latè explicat iuriſdictionem & poteſtatem ſummi Pontificis, quòd [2] caput ſit & Primas [3] Eccleſiæ, vica- II. III.
rius Christi, & à Chriſto [4] non ab IV.

hominibus vel ſynodis, alijs Prælatus & paſtor Chriſtianorum: & datæ ei ſunt à Domino claues, & vni dictum eſt, Tu es Petrus. Et ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alij in partem ſollicitudinis: & multa huiuſmodi, quæ cùm vulgatiſſima ſint, minimè neceſſarium erat recenſere. Iſta planè fatemur & credimus, operámque in hoc ſacro Concilio dare intendimus, vt omnes eandem ſententiam credant. Et nihilominus ipſum Romanũ Pon-
V. tificem dicimus ſ obedire teneri mandatis, ſtatutis, ordinationibus ac præceptis huius ſanctæ ſynodi Baſilienſis, & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, in his quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem

ſchiſmatis,& ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris, quemadmodum declaratum extitit per generale Concilium Conſtantienſe, Catholicam repræſentās Eccleſiam, cuius Catholicæ Eccleſiæ, quemadmodum & ſummi Pontificis, æquum fuiſſet,ſaltem pauciſſimis explicare poteſtatem. Quod cum non feceritis, dignum eſt, vt nos qui Concilium celebramus, aliquid ſaltem perfunctoriè referamus. In primis hoc nos meminiſſe decet, Catholicā Eccleſiam illam eſſe,cuius confeſſio in Symbolo continetur, Sanctam Eccleſiam Catholicam. Huius Eccleſiæ Catholicæ tanta auctoritas eſt, vt ſola Chriſti euangelia illa dicantur, quæ Eccleſia recipit: plures

Digitized by Google

enim de Apoſtolis etiam ſcripſiſſe dicuntur euangelia. Sed quia quatuor tantum approbauit Eccleſia, illa ſola & non alia veneramur. Ideo beatus Auguſtinus in pleriſque locis aſſerit: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ auctoritas commoueret. Illa enim ſacra ſcriptura dicitur, quam ſacram declarat Eccleſia. Huius Eccleſiæ determinationi Catholici omnes ſuas merito sẽtentias ſummittunt: & niſi ab ipſa approbẽtur Eccleſia, Catholici eſſe non poſſunt. Hæc ſancta Eccleſia tanto priuilegio à Chriſto ſaluatore noſtro, qui eam ſanguine ſuo fũdauit, dotata eſt, vt eam errare non poſſe firmiter credamus. Hoc ſolum competit Deo, naturâ: Eccleſiæ verò, priuilegio.

Digitized by Google

Prętcr autem Eccleſiam, nemini vnquam tale munus communi lege datum eſſe legimus: Non Angelis, hi enim à principio errare potuerunt, & multi ex eis errarunt: Non primis parẽtibus, nam à Diabolo decepti ſunt: Non hominibus, nam omnis homo mendax: Non ſummis Pontificibus, quorum nonnulli in hęreſes, & errores lapſi eſſe dicuntur, & leguntur. Eccleſia ſola ſine macula vlla & ruga eſt, quæ errare non poteſt in his quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Vtique Spiritus ſanctus qui mentiri non poteſt, ſe cum ea permanſurum vſque ad finem ſæculi, & eam per Spiritum ſanctum in omni veritate docendam eſſe pollicitus eſt. In iſta regeneramur, roboramur, nutri-

Digitized by Google

mur, & viuificamur. Extra iſtam nec ſalui eſſe, nec Deo placere poſſumus. Ianua cæli eſt, per quá ſolum ad cælum iter eſt. Sponſa enim Chriſti dicitur, & vnica & pulchra, & ſine macula, & ſine ruga: Soror, amica, columba, formoſa, ſpecioſa, perfecta, hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquarum viuentum, ſuauis, mitis, & decora, & quæ merito beatiſſima prædicatur: pro eiuſque fortitudine & firmitate terribilis dicitur vt caſtrorum acies ordinata. Hæc enim mater & magiſtra omnium fidelium, ac etiam corpus Chriſti myſticum nuncupatur, cuius caput ipſe Dominus Ieſus-Chriſtus. Nec mirum ſi errare non poteſt, quæ caput habet Chriſtum: Doctorem Spiritum ſanctum. Huius

tanta eſt auctoritas, vt qui contu-
maciter eius doctrinæ contradi-
cere præſumpſerit, hæreticus eſſe
conuincatur. Quæ domus etiam
[6] claues ſoluendi & ligandi acce- VI.
pit à Domino. Hanc domum ſi
quis corripientē, corrigētemque
contempſerit, Sit tibi, inquit
Dominus, tanquam ethnicus &
publicanus. Decuit quidem tan-
tam Eccleſiæ conferri poteſta-
tem, vt cum omnis homo obli-
quabilis ſit, & peccabilis, ipſa eſ-
ſet in terris, cuius iudicio, quòd
[7] errare non poteſt, quilibet ſub- VII.
iiceretur. Nec ſolum Eccleſiæ [8] VIII.
decreta, & ſententiæ authenticæ
ſunt, & quibus irrefragabiliter
ſtari oportet, ſed etiam eius facta
& conſuetudines inſtar habent
ſcripturarum ſacrarum. Sacræ e-

Digitized by Google

nim ſcripturæ,& cõſuetudini Eccleſiæ, par ritus, & idem vtriſque pietatis debetur affectus. Prætерijſtis etiam ſilentio ſacrorum generalium Conciliorum auctoritatem, quorum notitia cum omnibus fidelibus neceſſaria ſit, ideo de poteſtate eorum pauca perſtringere non erit inutile. Iſtorum Conciliorum,& Eccleſiæ Catholicę,eadem videtur eſſe poteſtas. Diffinitum enim eſt in Concilio Conſtantienſi, Quòd ſynodus generalis in Spiritu ſancto legitimè congregata, Catholicam repræſentat Eccleſiam, & poteſtatem à Chriſto immediatè habet. Idem etiam Martinus Papa in ſuis literis Apoſtolicis,ſententias quaſdam Concilij Conſtantienſis interſerens,exprimit.

Digitized by Google

Quæcunque igitur proximè dicta ſunt de auctoritate Eccleſiæ, trahi ad generale Concilium, quod illam repræſentat neceſſe eſt. Alioquin non eſſet recta repræſentatio, ſi eadem in repræſentante & repræſentato auctoritas non ineſſet. Et hoc ſolum ſatis foret ad probandam omnem Concilij poteſtatem, nec alia probatione vti neceſſarium videretur: vtique cum maior probatio eſſe non poſſit, quàm ipſius Eccleſiæ, quæ errare non poteſt. Nihilominus propter ipſorũ reuerentiá aliquid amplius referamus. Audite quantæ auctoritatis ſint ipſa Concilia, quantamque reuerentiam non ſolum priuatæ perſonæ, ſed & ſancti ſummi Pontifices ipſis Concilijs habuerunt.

Digitized by Google

Inquit beatus Papa Cæleſtinus in epiſtola ad ſynodum Epheſinam tranſmiſſa, vt refert Iſidorus in libro Conciliorũ; Spiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas ipſa mentiri, cuius in euangelio iſta eſt ſententia: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cum ità ſit, nam nec huic breui numero Spiritus ſanctus deeſt, quanto magis nunc intereſſe credamus in vnum conuenientium turbę ſanctorum? Sanctum namque Concilium eſt pro debita veneratione collectum, in quo nunc Apoſtolorũ frequẽtiſſimę illius, quam legimus, con-

Digitized by Google

gregationis aſpicienda reuerentia eſt. Et idem Iſidorus in eodem libro in geſtis tertiæ ſynodi Toletanę inquit: Vnde valde neceſſarium eſſe proſpexi, veſtram in vnum conuenire multitudinem, habens ſententiæ diuinæ fidem, quæ dicit; Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatem huic ſacro intereſſe Concilio, & ita tanquam ante conſpectum Dei in medio veſtri fidem meam protuli. Ecce beatus Papa Cæleſtinus eam reuerentiam eſſe dicit habendam congregationi Concilij, quæ debetur collegio Apoſtolorum, vt pote in cuius medio ipſe Chriſtus aſſiſtit, Spiritus ſanctus & ipſa

Trinitas. Quodque Spiritus ſanctus in Concilijs iudicet, & propterea Concilia errare nequeant, teſtis eſt ſcriptura Actuum Apoſtolorũ, quæ dicit: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Etiam beatus Hieronymus comparat Concilij auctoritatem Soli, vt ſicut Sol ſuo ardore humores riuulorum deſiccat, ita Concilium ſua auctoritate omnem contrariam ſuperat argumẽtationem. Inquit enim in fine diſputationis cõtra Luciferianum: Poteram omnes diſputationum tuarum riuulos hoc vno Eccleſiæ ſole ſiccare: de auctoritate Concilij generalis loquens. Item Concilij auctoritas auctoritati ſacrę ſcripturæ comparatur: quia vt ait beatus Auguſtinus de fide Chriſtiana, Catholi-

ca Eccleſia per orbem diffuſa, tribus modis probatur exiſtere: Quidquid in ea tenetur, aut eſt auctoritas ſcripturarum, aut traditio vniuerſalis, aut certe propria & particularis inſtructio: ſed auctoritate tota conſtringitur, vniuerſali traditione maiorum nihilominus tota. Ecce par auctoritas, & ſcripturarum, & vniuerſalis traditionis. Sed Concilia generalia vniuerſali traditione, & conſenſu fiunt & recipiuntur. Videntur etiā generalia Cócilia, vt euāgelia, fore veneranda. Ratio enim propter quam beatus Gregorius quatuor prima Concilia, vt euangelia ſuſcipit & veneratur, iſta eſt, quia dum ſunt vniuerſali conſenſu conſtituta, ſe & nó illa deſtruit, quiſquis præſum-

pſerit abſoluere quos ligant, aut ligare quos abſoluunt. Sed hæc ratio eadem quæ in cæteris generalibus Concilijs. Vniuerſali enim cóſenſu conſtituta ſunt. Beatus etiam Auguſtinus ad Ianuarium aſſerit, generalium Conciliorum ſaluberrimam in Eccleſia auctoritatem eſſe: Quę ſi ſaluberrima eſt ſalutem continet: Ergo qui auctoritati Concilij contradicit, contra ſalutem agit. Quantam deuotioné reuerentiamq; Chriſti fideles Cócilijs habere debeāt, hinc patet: quod antequam eſſet facultas in vnum congregandi & celebrandi Concilia, Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt: Poſtquam autem cœpta ſunt Concilia celebrari, omnis hæreſum atque errorum caligo, tan-

quam ſole illuſtrante, depulſa eſt. Quod etiam Concilia ſtatuendo non errant, hinc liquidè conſtat, quia omni manent ſtabilita vigore, vtique cum Spiritus ſanctus illa dirigat & inſpiret. Vnde inquit beatus Iſidorus, Quod ſi qua ſint alia Concilia quæ ſancti patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor auctoritatem, omni manent ſtabilita vigore. Hinc etiam euidenter patet, quod Concilia errare nō poſſunt: quoniam quilibet ſummus Pontifex, qui eſt caput & paſtor Eccleſiæ, tenetur, prout in Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuit, quā primum in ſummum Pōtificem electus eſt, profiteri coram ſuis IX.
electoribus, fidem Catholicam tenere, ſecundum traditiones

Apoſtolorum, generalium Conciliorum: & poſt nominationem aliquorum Conciliorum, ſubijcitur etiam: necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, Viennenſis, generalium Conciliorũ: Et illam fidẽ vſque ad vnum apicem immutilatam ſeruare, & vſque ad ſanguinem & animam confirmare, defenſare, & prædicare. Et ita profeſſus fuit felicis recordationis Martinus papa quintus. Ita etiam creditur dominum Eugenium modernum profeſſum eſſe. Quilibet ergo Chriſtianus eãdem fidem tenere obligatur, quam Eccleſia Catholica & Apoſtolica tenet & approbat. Quod ſi errare poſſent generalia Concilia in his, quę ad ſalutem ſunt neceſſaria, profecto nimis vanum, ac perni-

cioſum

ciòſum eſſet ad talem fidem populũ Chriſtianũ aſtringi. Quantæ etiam auctoritatis ſint Concilia generalia, hinc luculenter aduerti poteſt, quòd ab eorum poteſtate nemo eximitur, etiã ſummus Pontifex, vt extat Concilij Conſtantienſis decretum, in hæc verba: *Hæc* ſancta ſynodus Conſtantienſis, generale Concilium faciẽs &c. ordinat, ſtatuit, diffinit, decernit, & declarat, vt ſequitur: Et primò, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata generale Concilium faciens, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentãs, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcũque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quę pertinent ad fi-

dem, extirpationem ſchiſmatis; & generalem reformationē Eccleſiæ Dei tam in capite, quam in membris. Item, declarat quod quicunque cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſiue ordinationibus, aut præceptis huius ſanctæ ſynodi, & cuiuſcunque alterius Concilii generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, condignæ pœnitentiæ ſubiiciatur, &
x. debite puniatur, etiam ad alia 10
iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Nec quiſquam illud dicere præſumat, quod aliquod generale Concilium legitimè cōgregatum inualidum ſit, aut er-

rare poſſit: quia ſi hic pernitioſus error admitteretur, tota fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in Eccleſia haberemus: quia qua ratione poteſt errare vnum: poſſent errare & reliqua. Quoniam, vt inquit beatus Auguſtinus, Si ad ſacras ſcripturas admiſſa fuerint officioſa mẽdacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de ſcripturis illis ſententia proferetur, cuius pondere contentioſæ falſitatis obtrectetur improbitas? Quis iam de poteſtate Conciliorum ſuper alias omnes poteſtates ambigere poterit, tot irrefragabilibus teſtimonijs comprobata? Ex his manifeſtè conſtat, auctoritates quas de ſummi poteſtate Pontificis allegaſtis, non probare quomi-

nus ipſe Pontifex mandatis vniuerſalis Eccleſiæ & Concilij generalis obedire teneatur. Sed id duntaxat probant, quod omnes homines particulares, ſingulareſque Eccleſiæ, ipſi Pontifici obedire debent, niſi in his quæ huic ſacræ ſynodo, & cuilibet alteri legitime congregatæ præiudicium generarent. Nam
XI. etſi ſit caput [11] miniſteriale Eccleſiæ, non tamen maior eſt totâ Eccleſiâ: Alioquìn errante Pontifice, ſicut ſæpe contigit, & contingere poteſt, tota erraſſet Eccleſia, quod eſſe non poteſt. Etſi caput ſit, & principalis Prælatus huius corporis myſtici, eſt nihilominus intra corpus. Nam ſi extra corpus eſſet, tunc non pertineret ad corpus, nec tunc caput
Digitized by Google

eſſet. Corpus igitur hoc, totum continet, & ipſum quod dicitur caput, & ſingula membra. Nec quis dicat, quod ipſa pars principalis potentior eſt ac dignior reliquo toto corpore, & cæteris membris, & per conſequens illi potius obediendum: quia ratio, experientia, & auctoritas, dictant contrarium. Ratio, quia reliquum totum corpus, etiam non computato Papa, ſecundum legem communem errare non poteſt, in his quæ ſunt fidei. Alioquin ſi errare poſſet, cum certum ſit Papam errare poſſe, tunc & Papa, & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Eccleſia: quod eſſe non poteſt. Experientia etiam demonſtrat, quia ſæpe experti ſumus & legimus Papam,

licet caput, & partem principalẽ,
erraſſe: reliquum autem corpus,
Papa etiam errante, erraſſe nun-
quam legimus. Propterea reli-
quum ſæpe totum corpus con-
demnauit atque depoſuit Pa-
pam, tam ratione fidei, quam
morum: Sed nunquam Papa
condemnauit, aut excommunica-
uit, aut depoſuit, totum corpus
reliquum Eccleſiæ. Licet ergo
tàm Papa, quàm Eccleſia, habeãt
X II. claues [12] ligandi & ſoluendi, Pa-
pa tamen nunquam in totam Ec-
cleſiam claues ligandi, atque ſol-
uendi exercuit: Eccleſia autem
ſæpenumero in Papam. Aucto-
ritas etiam ſcripturæ euangelicæ
idem probat. Nam quod dixit
Chriſtus, Si peccauerit in te fra-
ter tuus, dic Eccleſiæ: & ſi Eccle-

Digitized by Google

ſiam non audierit, ſit tibi vt ethnicus & publicanus, omnes homines comprehendit. Et quod Petrus & eius ſucceſſores illa auctoritate comprehendantur, oſtendit Paulus, qui in faciem reſtitit Cephæ, & coram omnibus. Eccleſiæ enim dixiſſe videtur, qui coram omnibus dixit. Quod ad ſucceſſores Petri, iam ſupradictum eſt, qualiter ſæpe peccata eorum dicta fuerint Eccleſiæ, & ab Eccleſia punita, & qui non audierunt Eccleſiam, fuerunt habiti vt ethnici & publicani, vt legitur de Anaſtaſio & Liberio. Probat hoc etiam auctoritas vniuerſalis Eccleſiæ, quæ non poteſt errare, ita diffinientis in Concilio Conſtantienſi. Quod peccata Pontificum circa fidem, vel ſchiſ-

Digitized by Google

ma,vel mores poſſunt dici Eccle-ſiæ,cuius præceptis & ordinationibus tenētur obedire: & ſi obedire contempſerint, condignæ pœnitentiæ poſſunt ſubijci, & ad alia iuris remedia recurri, & per conſequens poſſunt excommunicari,quo facto, vt ethnici & publicani habebuntur. Hoc etiamſi pluribus alijs rationibus & auctoritatibus poſſet comprobari, ſatis eſt, auctoritatem vniuerſalis Eccleſiæ adducere. Ipſa enim errare non poteſt,& quicquid determinet ſcripto,aut cōſuetudine vniuerſaliter faciat, eiuſdem reuerētiæ & auctoritatis eſt, cuius ſacra ſcriptura. Vnde ſi in euangelio reperiremus ſcriptum decretum illud Conſtantienſis Concilij, Quod Papa tenetur obedire Cō-

cilio,&c. hæreticum eſſet hoc re-
uocare in dubium, ſic & hæreticū
eſt,ſi quis illi decreto contuma-
citer contradicat. Et quia ad alia,
noſtra feſtinat oratio, [13] omnes XIII.
argumētationes quę fieri poſſent
in contrarium, hàc vnica aucto-
ritate Eccleſiæ veraciſſime confu-
tamus. Ita beatus Hieronymus
poſt longam diſputationem con-
fundit atque conuincit Luciferia-
num,dicēs, Poteram omnes pro-
poſitionum tuarum riuulos hoc
vno Eccleſiæ ſole ſiccare; de au-
ctoritate Concilij loquens. Qua-
lecunque ergo nomen dignitatis
aut poteſtatis de Papa ſcriptum
inuenitur, ad particulares quoſ-
cunque homines, & ſingulares
Eccleſias referendum eſt, non ſu-
pra vniuerſalem Eccleſiam, ita vt

Papa potius Eccleſiæ, quam Eccleſia tota Papę obedire cogatur. Nam etſi Papa maior ſit in Eccleſia, non tamen maior eſt tota Eccleſia. Vni autem quare dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum, ſancti Doctores exponũt, Vt vnitatem deſignaret Eccleſiæ: Et ideo exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe demonſtretur. Et Petrus quando claues accepit, vt dicit Auguſtinus, Eccleſiã ſignificauit. Nec putetis quin Eccleſia claues habeat, & imperium ſuper omnes, quòd ideo ſunt multi Principes contra philoſophicum dictum, Entia nolunt male diſponi, pluralitas principantium mala. Vnus ergo princeps. Ipſa enim vnus eſt

Princeps,& vnitati fidelium, non ſingulis, hæc iuriſdictio à Domino conceditur: & ideo ab vno incipere voluit, vt perfectam vnitatem, atque vnanimitaté deſignaret: quia vnitas Eccleſiæ multo maior eſt atque perfectior, quam vnitas vnius Regis, aut Imperatoris terreni. Hic enim & errat, & in varias ſententias atque contrarias ſæpe ſcinditur. Eccleſia auté nec errat, nec ſibi ipſi cótradicit. Nec comparádum eſt corpus Eccleſiæ alijs politicis corporibus ciuitatum & vniuerſitatum: Quia in medio corporis huius eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret. Alia autem politica corpora humanis & varijs voluntatibus gubernantur. Neque in hac materia con-

Digitized by Google

gruit allegare errorem illorum, ſecundum beatum Thomam, qui ſe ſubducere nituntur, ab obedientia Petri, ſucceſſorē eius Romanum Pontificem vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes: Quoniam de ſingularibus Eccleſiis & perſonis id intelligendum eſt, non de vniuerſali Eccleſia, quæ ſæpe obedientiam iuſtis ex cauſis Romanis Pontificibus ſubtraxit, vt Marcellino, Anaſtaſio, Liberio, Ioanni XII. Benedicto IX. Benedicto XIII. Ioanni XXIII. Progredientes deinde ad materiam Concilij dicitis quod ſanctiſſimus dominus Eugenius ratus hæreſibus, bellis, ac deformitatibus, ſine ſanctorū patrum & principum aſſiſtentia opportune obuiari non poſſe,

Concilium Baſilienſe ex domini Martini Papæ felicis recordationis auctoritate per Senenſe Concilium promulgatum, atque eiuſdẽ Martini iuſſione ſtabilitũ, poſt ipſius obitum & ſuæ ſanctitatis aſſumptionem robur habere voluit, & proſecutionẽ, ratum & gratum per ſuas Apoſtolicas bullas gerens, quicquid poteſtatis in ea re dilecto Eccleſiæ filio Iuliano ſancti Angeli Diacono Cardinali ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato, per prædeceſſorem ſuum collatum fuiſſet. Fatemini
ergo, & bene, Concilium hoc 14. XIV.
legitime congregatum, quia ſtabilitum fuiſſe dicitis auctoritate Apoſtolica, & per Concilium Senenſe, & roboratum per domi-

Digitized by Google

num Eugenium. Et quia facultas data præfato Legato, circa proſecutionem Concilij, ratificata extitit per ipſum dominum Eugenium modernum, optime veritatem narraſtis. Ita enim fuit vt dicitis.

Digitized by Google

COMMENTARIVS AD RESPONSIONEM SYNODALEM *Concil. Baſil. de auctoritate cuiuſlibet Concilij generalis ſupra Papam, & quoſlibet fideles.*

I. NVLLA ab antiquis Patribus reperta eſt expeditior ratio confirmandæ per totam Eccleſiam pacis, quam ea quæ à Chriſto auctore pacis tradita eſt, ſynodorum coactio: ſiue contentiones circa legalia reſcindendæ, ſiue hæreſes extirpandæ, ſiue ſchiſmata terminanda, ſiue Eccleſia tam in capite, quam in membris reformanda. Chriſtus enim ſcādala ad Eccleſiam referri iubet. Hæc autem in ſynodis particularibus, quoties controuerſia in aliqua prouincia emergit, aut in generalibus, quoties periculū eſt, ne error totam Eccleſiam inuadat. Generales enim ſynodi totā Eccleſiā repræſentant, cui ſpeciali priuilegio indultum eſt, vt errare non poſſit. Hinc factitatum, vt eorum quæ in ſynodis particularibus decreta ſunt, ſæpiſſimè à

generalibus Conciliis deſiderata ſit approbatio, & confirmatio, licet illis totius Eccleſiæ caput Pontifex Romanus præfuiſſet. Controuerſia de paſchate à Victore & Concilio Romano terminata, rurſum agitata eſt in ſynodo Nicæna: Macedoniani damnati à Liberio in Concilio Romano, & à Damaſo in alio Concilio Romano, rurſum damnati ſunt à ſynodo Conſtantinopolitana: Neſtorius à Cæleſtino in Concilio Romano, à ſynodo Epheſina: Petrus Antiochenus à Felice III. in Concilio Romano, à ſynodo V. Oecumenica Conſtãtinopolitana: Paulus, Pyrrhus, Sergius, & alii ab Agathone in Concilio Romano, à VI. ſynodo Conſtãtinopolitana in Trullo: Iconomachi à Gregorio III. in Concilio Romano, à II. Nicæna Oecumenica: Photius, & Gregorius Syracuſanus à Nicolao I. in Concilio Romano, & ab Adriano II. in alio Concilio Romano, ab VIII. Oecumenica Conſtantinopolitana: Berengarius à Leone IX. in. Conciliis Romano, & Vercellenſi, & à Nicolao II. in

Concilio

Concilio Romano à Lateranenſi ſub Innnocentio III. Vuicleffus à Ioanne XXIII. in Concilio Romano, à Conſtantienſi. In ſchiſmatibus autem varie obſeruatum. Schiſma Nouatiani aduerſus Cornelium, Vrſini aduerſus Damaſum, Dioſcori aduerſus Bonifacium II. communi conſenſu Eccleſiæ euanuerunt: Schiſmati Liberii aduerſus Felicem, Cōſtãtini aduerſus Stephanum III. Benedicti aduerſus Nicolaum II. Eccleſia Romana finem impoſuit: De ſchiſmate Eulalij aduerſus Bonifacium I. Honorius cognouit: Laurentii aduerſus Symmachum, Theodericus Rex: Paſchalis aduerſus Sergium, Exarchus: Ioannis XVII. aduerſus Gregorium V. Otto III. Benedicti IX. Syluestri III. & Gregorii VI. Henricus III. qui eadem cauſa ſynodum coëgit: Cadoli aduerſus Alexãdrum II. Henricus IV. De peſſimo autẽ, & omnium longiſſimo, inter Benedictũ XIII. Gregorium XII. & Ioãnem XXIII. ſynodus Conſtantienſis. Hæc autem ſynodus vt in futurum Eccleſiæ caueret,

quæ tot ſchiſmatibus quaſſata erat, ſtatuit, ſeſſione 39. Concilia generalia celebrari frequentius; & vt primũ poſt Conſtantienſe, in quinquennium; alterum in ſeptennium, & deinceps de decennio in decenniũ cogerentur. Martinus v. in illa ſynodo Pontifex electus, quinquennio elapſo, Concilium, iuxta illud decretum Papiæ indixit, poſtea Senas, de conſenſu patrum tranſlatum. In illo Concilio indictum eſt alterum à Conſtantienſi, quod poſt ſeptennium à primo, debebat celebrari, & Baſilia Ciuitas à Concilio electa. Martinus Bullis Concilium Baſiliam euocat, & Cardinalem Iulianum præſidem Concilij decernit: antequam Epiſcopi congregarentur, Martinus vita functus eſt: In eius locum Eugenius iv. ſuffectus, qui auctoritate Apoſtolica rurſum Iulianum Cardinalem præſidem Cõcilii ſtatuit. Hoc igitur Iuliano Cardinale præſide inchoata eſt ſynod⁹ Baſiliæ xix. kal. Ianuarii anno Domini. 1431. Secũda ſeſſio celebrata eſt xv. Kal. Februarii, in qua renouata ſunt duo decreta ſynodi

Conſtantienſis, de quibus in hac Epiſtola ſynodali: Tertium additum, vt non liceat ſynodum diſſoluere, aut in alium locum transferre, abſque ſynodi conſenſu. Eugenius, quod viderentur illa decreta auctoritati Pontificiæ derogare, Concilium diſſoluere conatur: de qua re certiores facti patres, etiamſi ad eos nondum perueniſſet Bulla reuocationis, decreuerunt, tertia ſeſſione, diſſolutionem ſynodi nullatenus fieri poſſe, quod illud directò pugnet decreto Conſtantienſis Concilii: ad Eugenium mittunt Legatos, qui nomine Concilii, precibus efficiant, vt hanc diſſolutionem reuocet: quod ſi facere neglexerit, profitetur ſynodus ſe curaturam Eccleſiæ neceſſatibus prouidere, & procedere, ſecundum quod fuerit iuris diuini, & humani: Cardinales monet, vt infra tres menſes, in ſynodum veniant, alioquin in eos animaduerſuram. Extat Epiſtola grauiſſima Iuliani Cardinalis ad Eugenium, qua queritur de diſſolutione Concilii, vt illegitima, quod quicquid actum in ſynodo, illud factum

eſſet ſecundum diſpoſitionem iuris communis, & formam Conciliorum Piſani, & Conſtantienſis, & Bullam domini Martini, & vna cum conſenſu eorum, qui erant Baſiliæ: Hæc ſunt verba illius. Sentiens Eugenius ſuam reuocationem nullius eſſe momenti, apud Patres huius Concilii, ad eos mittit Oratores, qui VI. ſeſſione in Concilium admiſſi, multa de Eugenio & ſummi Pontificis auctoritate verba fecerunt. Hi erant Ioannes Tarentinus, Andræas Coloſſenſis, Archiepiſcopi, Bertrandus Epiſcopus Magalonenſis, & Antonius de Sancto Vito, cauſarum auditor. His Epiſtolam ſeu reſponſionem hanc ſynodalem decreuerunt Patres, cuius partem commentario illuſtrare conabor.

II. CAPVT. Chriſtus Dominus in Eccleſia ſua Hierarchiam inſtituit, vt inter membra totius Eccleſiæ, primi eſſent Apoſtoli, Corinth. 12. Idem hierarchiæ ordo poſtulat, vt inter Apoſtolos aliquis ſit primus. In lege antiqua, Deus

inter ſacerdotes, Pontificem primum ſacerdotem ſtatuit: In lege noua, Petrum. Eum enim Matthæus primum vocat cap. 3. non quod fuerit primus vocatione, qui fuit tertius, Ioan. 1. non maior ætate, Andræas enim erat maior natu, ſed dignitate, vt qui aliis præſit. Primus enim aliter dici nõ poteſt, quam ratione ordinis, aut dignitatis. Deinde alius non poteſt melius repræſentare Eccleſiam, quam is qui ei præeſt: at in omnibus Petrus repræſentat Eccleſiam, ſiue profitenda fides pro Eccleſia, ſiue accipienda clauium poteſtas, ſiue cura paſtoralis ſuſcipienda. Sed vt primus, & cui præcipue Eccleſiæ cura incumbebat, de ſubſtituendo in locum Iudæ, de creandis Diaconis, de quæſtionibus legalibus, de confutandis Iudæis, qui diſcipulos ebrietatis arguebant, verba facit. Hinc patres multis nominibus eum ornauerunt: ab eis enim vocatur caput, verticalis, Prelatus, Primas, præcipuus, princeps Apoſtolorum & Eccleſiæ. Sed & Petri ſedem, ſcilicet Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum

principem & primariam confeſſi ſunt, & ita obtinuit ab initio naſcentis Eccleſiæ. Clemens ſucceſſor Petri ſub nomine Eccleſiæ Romanæ ſcripſit ad Corinthios Epiſtolam, ad ſchiſma quod inter eos erat tollendum. Euſeb. lib. 3. cap. 16. Hieronymus Catal. ſcript. Eccleſ. Ex quo videre eſt, Eccleſiam Romanam aliarum curam habuiſſe. Euſeb. lib. 5. cap. 3. *Fratres qui erant in Gallia, cum de Montano, & Alcibiade, & Theodoto, qui erant in* Phrygia, *controuerſia eſſet, priuatum iudicium, idque prudens & rectum cumprimis, de eiſdem, Epiſtolæ, quam diximus, ſubiunxerunt: nonnullaſque Martyrum literas, qui apud ipſos mortem oppetebant, quas cum adhuc tenerentur in vinculis, nonmodo fratribus in Aſia & Phrygia, verumetiam* Eleu*thero Epiſcopo Romano, quem vehementer rogabant, vt pax in Eccleſiis conſtitueretur.* Quod fuiſſet ridiculum, niſi & Galli & Phrigii, Romanum Pontificem principem harum Eccleſiarum agnouiſent. Victoris decretum notabile, qui multas Eccleſias Orientales communione priuauit ob celebrationem paſchæ: Euſeb.

Digitized by Google

lib. 5. cap. 24. Quod factum, licet Irenæus, & multi alij graues viri improbarint, tamen quin potuerit hoc facere, nemo dubitauit. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Ad hanc Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, id eſt, omnes qui ſunt vbique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis literas ferre.* Et lib. 4. epiſt. 8. *Eccleſia Catholica matricē & radicem* appellat. Sozomenus. lib. 6. cap. 22. *Quæ cōtrouerſia, cū contendendi ſtudio in dies magis magiſque creſceret,* Epiſcopus *Romanus de ea re certior factus, ſcripſit ad* Eccleſias *Oriētis literas, vt vna cū ſacerdotibus & Epiſcopis Occidētis, Trinitatē & cōſubſtantialē eſſe, & gloria æqualē exiſtimarēt: Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerūt.* Iuſtinianus eam vocat, *Caput omniū Eccleſiarū* l. inter claras. §. ideoque. C. de

principem & primariam confeſſi ſunt, & ita obtinuit ab initio naſcentis Eccleſiæ. Clemens ſucceſſor Petri ſub nomine Eccleſiæ Romanæ ſcripſit ad Corinthios Epiſtolam, ad ſchiſma quod inter eos erat tollendum. Euſeb. lib. 3. cap. 16. Hieronymus Catal. ſcript. Eccleſ. Ex quo videre eſt, Eccleſiam Romanam aliarum curam habuiſſe. Euſeb. lib. 5. cap. 3. *Fratres qui erant in Gallia, cum de Montano, & Alcibiade, & Theodoto, qui erant in Phrygia, controuerſia eßet, priuatum iudicium, idque prudens & rectum cumprimis, de eiſdem, Epiſtolæ, quam diximus, ſubiunxerunt: nonnullaſque Martyrum literas, qui apud ipſos mortem oppetebant, quas cum adhuc tenerentur in vinculis, nonmodo fratribus in Aſia & Phrygia, verumetiam Eleuthero Epiſcopo Romano, quem vehementer rogabant, vt pax in Eccleſiis conſtitueretur.* Quod fuiſſet ridiculum, niſi & Galli & Phrigii, Romanum Pontificem principem harum Eccleſiarum agnouiſent. Victoris decretum notabile, qui multas Eccleſias Orientales communione priuauit ob celebrationem paſchæ: Euſeb.

lib. 5. cap. 24. Quod factum, licet Irenæus, & multi alij graues viri improbarint, tamen quin potuerit hoc facere, nemo dubitauit. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Ad hanc Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, id eſt, omnes qui ſunt vbique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis literas ferre.* Et lib. 4. epiſt. 8. *Eccleſiæ Catholicæ matricẽ & radicem* appellat. Sozomenus. lib. 6. cap. 22. *Quæ cõtrouerſia, cũ contendendi ſtudio in dies magis magiſque creſceret, Epiſcopus Romanus de ea re certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Oriẽtis literas, vt vna cũ ſacerdotibus & Epiſcopis Occidẽtis, Trinitatẽ & cõſubſtantialẽ eſſe, & gloria æqualẽ exiſtimarẽt: Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerũt.* Iuſtinianus eam vocat, *Caput omniũ Eccleſiarũ* l. inter claras. §. ideoque. C. de

ſumma Trinit. & fid. Cath. Caſſiodorus lib. 11. Epiſtol. 2. *Sedes illa toto orbe mirabilis, proprios regat affectione cultores, quæ licet generalis mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa.*

III. Archiepiſcopus Tarentinus quod Pontifex Romanus ſit primus, caput, paſtor Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, cui Claues datę ſunt, inducere in Eccleſiam monarchiam abſolutam videtur. Richerius Theologus Scholæ Pariſienſis doctiſſimus, libello quem edidit de Eccleſiaſtica poteſtate, probat Eccleſiæ ſtatum eſſe Monarchicũ, ſed regimine Ariſtocratico tẽperatum. In cũ ſcripſerunt duo eiuſdem ſcholæ Doctores, Valla, & Durãdus, & Pelletarius: & volunt efficere, vt regimen Monarchicum Eccleſiæ pure & abſolute ſit penes Põtificẽ Romanum: Atque his potiſſimũ rationibus, quas Tarentinus adfert, ijſque vulgatiſſimis, vt ait ſynodus: Sed & ridiculas, & ab omnium Patrum ſententia alienas eſſe demonſtrabimus: & à conuiciis abſtinebimus, vt Chriſtia-

Digitized by Google

num decet: non vt illi, qui optimum hominem contumeliis onerant, ac ſi eſſent de Plautina familia, & quidem adeo crebris, vt diceres eſſe ſuppellectilē Pellionis, ita palus palo proximus eſt. Monarchiam in Eccleſia eſſe nemo vſquam, niſi hæreticus, dubitauit, ſed qualis ſit Monarchia inter omnes non conuenit. Duo enim ſunt genera Monarchiæ: Vna abſoluta, cum populus omne ius ſuũ in vnũ tranſtulit: Altera cũ certis legibus, is qui Monarcha dicitur, eſt obnoxius, ne Monarcha omnia pro libidine faciat. Nec ideo Imperator minus Monarcha eſt, quia ſubſidia noua imperare ſine Diæta Imperiali non poteſt: Sed nec etiã Papa in Eccleſia, ſi illi Canones & decreta Conciliorum pro libitu reuocare, & alia noua condere non liceat. Nam Papam legibus Eccleſiaſticis obnoxium eſſe, nec ipſi diffitentur. Papæ, tota diſtinct. 15. At iſti Doctores ſuo ſe ludo lamberant. Idem enim affirmant, & tamen Richerium reprehendunt, quòd dixerit eſſe Monarchiam Ariſtocratico regimine temperatam: & 1

tentant perſuadere Papam eſſe Monarcham Eccleſiæ abſolutum, & tamen decretis Eccleſiæ obnoxium: quo nihil magis ridiculum excogitari poteſt. Et
2 fallũtur illi Doctores, qui ex ſimilitudine Monarchiæ politicæ, volunt argumenta petere ad probandam poteſtatem Monarchiæ Eccleſiaſticæ. Nam quantum diſtent, vel ex eo colligere poſſumus, quòd Rex poteſtatem habeat vitæ & necis in ſubditos, & quod ei placuit legis habeat vigorem, & etiã ſi in leges pronuntiet, tamen ius dicere cenſeatur. At hoc in Pontifice obtinere vſus quotidianus, & ius Canonicum, repugnat. Pontifex enim non habet poteſtatẽ abſolutã vitæ & necis ſpiritualis in Chriſtianos, propterea quòd vſus
3 Clauium regulatur ſecũdum Canones, non autem mera & abſoluta poteſtate exercetur: Nec omnis qui excommunicatur à Papa, excõmunicatus eſt in cælo. Textus expreſſus. can. de illicita. 24. qu.3. *De illicita excommunicatione lex* Iuſti*niani Imperatoris Catholici, quam probat & ſeruat Eccleſia Catholica, decreuit, Vt nemo*

Epiſcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam cauſa probetur, propter quam Eccleſiaſtici Canones hoc fieri Iubent. Clemens ad Iacobum fratrem Domini: *Ligabit*, inquit, *quod oportet ligari, & ſoluet quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit.* Nycon ad Enclyſtium *Vide quid facis, ô* Sacerdos: *Quæ inferius ligas, ea eſſe ſuperius in rationes referenda exiſtima. Non eſt à ratione reddenda vinculum liberum. Si iniuſte ligaueris, in iudicio Angelorum oſtenſurus es: non ira & animi perturbatione vinculum intuleris, non vt teipſum vlciſcens. Si Antiſtes præter Dei ſcopum punierit, Deus eum non ſequitur: & ecce inuenitur pœna quæ ab eo infligitur iniuſta, & propterea inualida.* Magiſter. lib. 4. Sent. diſt. 18. *Tunc ſententia Sacerdotis iudicio Dei, & totius cœleſtis curiæ approbatur, & confirmatur, cum ita ex diſcretione procedit.* Et paulo poſt: *Interdum qui foras, mittitur, intus eſt: & qui foras eſt, intus videtur retineri. Ecce qualis, & quantus eſt vſus Apoſtolocarũ clauium.* Auguſtinus in c. illud 11. qu. 3. *Spiritus ſanctus habitans in ſanctis, per quem quiſque ligatur*

Digitized by Google

aut ſoluitur, immeritã nulli ingerit pœnam. Deinde Monarcha ſecularis eſt ſupra leges,quas & abrogare,& alias de nouo
4 cōdere poteſt. At Pontifex, non ſolum Canonibus generalium Conciliorum obnoxius eſt, ſed & particularium, quæ Principes auctores habuerũt.Expreſſus textus c. de capitulis. diſt. 10. qui eſt Leonis ad Lotharium Auguſtum. *De capitulis vel præceptis* Imperialibus *veſtris* (loquitur de Capitularibus Caroli Magni, & Ludouici Pij) *veſtrorumque Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſeruandis, quantum valuimus & valemus, Chriſto propitio, & nunc, & in æuum nos conſeruaturos omnibus modis profitemur: Et ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus eſt, ſciatis eum pro certo mendacem.* Gelaſius ad Anaſtaſium Imperat. A *præſulibus cauſas ſalutis expectant* Imperatores; *& viciſſim quantum ad ordinẽ pertinet publicæ diſciplinæ, legibus* Imperatorum *parent Antiſtites.* Vnde ſi preter eos Canones Eccleſiaſticos aliquid decernit Pontifex, ab eo appellari po-
5 teſt. Textus eſt c. nos ſi incompetenter

2. qu. 7. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſtæ legis tramitem non conſeruauimus; veſtro ac Miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Et paulo poſt. *Eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum nihil ſit, quod ex eis indiſcuſſum, vel indefinitum r maneat.* Hinc eliciuntur appellationes ab abuſu, cum contra illa iura aliquid innouatur à Pōtificibus. Quantū ad ſtatum, certū eſt in veteri lege Monarchicū fuiſſe: nihil tamen decernebat Pontifex, niſi in conſilio, vt expreſſe docetur 6
17. Deuter. Paralipomenon 2. cap. 19. In *Hieruſalem conſtituit* Ioſaphat *Leuitas, & ſacerdotes, & principes familiarum, ex Iſrael, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens*: Sic *agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto: Omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in* Dominū. *Amarias autem ſacerdos & Pōtifex veſter, in iis, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* Sed & cum ageretur de Chri-

ſto, de doctrina eius, de Apoſtolis, nihil Pontificem niſi in Concilio decreuiſſe legimus. Secundo ait Christus, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te non*
7 *audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Per quæ oſtendit iudicium eſſe penes Eccleſiam, non ſolum Pontificem. Fruſtra Valla conatur probare ex Patribus id (*Dic Eccleſiæ*) dictum de Prælatis: Et illud verum eſt quantũ ad denuntiationẽ: ſed quantum ad iudiciũ, hoc eſſet à Chriſti ſententia alieniſſimum. Bis enim Chriſtus *Eccleſiam* repetiit, vt oſtenderet loqui, non ſolum denũtiatione, ſed etiam de iudicio. Poſſum autem dicere denuntiatum errorem Eccleſiæ, cum capiti indicatur: nam opus eſt aliquo, qui ad Eccleſiam referat. Cum autem Epiſcopus denuntiauit Eccleſiæ, tum Eccleſia ipſa eſt, quæ fert ſententiam, non põtifex. Et ſic ſemper obſeruatum eſt in Eccleſia, ſe-

cundum hoc Chriſti præceptum. In Epiſtol. ſynodal. Concilii Romani ſub Felice II. cap. 2. & 3. *Si quis aduerſus Epiſcopum cauſam habuerit; non prius alios Epiſcopos adeat, vt eum accuſet, quam familiariter ei ſuam indicet querelam, & ab eo aut iuſtam emendationem, aut rationabilem percipiat excuſationem, ipſa nos inſtruente veritate*, Si *peccauerit in te frater tuus, &c.* *Si quis Epiſcopum poſt hæc elegerit accuſare, ſummis Primatibus Epiſcoporum ſuam indicet cauſam. Si Primates, accuſatores Epiſcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad ſynodũ canonice conuocent.* Marcellinus Epiſt. 2. *Quæcunque contentiones inter Chriſtianos ortæ fuerint, ad Eccleſiam deferantur, & ab Eccleſiaſticis viris terminentur.* Alexander c. relatum 11. quæſt. 1. *Apoſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri præcepit.* Et Gloſ. *Hoc obtinuit ſecundũ primitiuũ ſtatum Eccleſiæ.* Nicolaus ad Lotharium Regem. *Præcaue, nequando nobis, ſecundum Domini præceptum, duos, aut tres teſtes adhibeamus: immo verò ne hoc Eccleſiæ ſanctæ dicamus.* Regino lib. 2. Vide: Non ſibi

ſoli arrogauit iudicandi poteſtatem, ſed ad Eccleſiam adulterium Lotharii ſe relaturum minatur, ſecundum Chriſti præceptum, vt ab Eccleſia iudicium procedat: quod & factum eſt, conuocata ſynodo. Gloſ. Ord. *Vt obiurgatio* (inquit) *plurimorum eum corrigat*. Accuſatus enim ſe ſiſtebat in iudicio, id eſt, coram congregatione. Accuſatus Petrus, quod in Eccleſiam præputiatos induxiſſet, reſpondit in congregatione fidelium. Act. 11. Accuſatus Paulus quod diſceſ-
8 ſionem à Moſe doceret, hoc factum eſt in congregatione Apoſtolorum & ſeniorum. Act. 21. Tertio æquales fuerunt Apoſtoli, vt latiſſime Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, ſeu eos conſideres vt Apoſtolos, æque enim fuerunt Apoſtoli: ſeu claues reſpicias, quæ æque omnibus datæ ſunt, *Quorum remiſeritis peccata*: Seu Spritum ſanctum, qui æque omnibus à Chriſto datus eſt: ſeu miſſionem, *Euntes prædicate*: Seu vt ædificatores Eccleſiæ, Corinth. 3. Seu vt portas & *fundamenta*, Apocal. 21. Seu vt iudices iudicantes duodecim tribus Iſrael.

rael. Sed & ſuper omnes lapides altaris, qui erant duodecim, lex ſcripta erat. Ioſue. 8. Et Paulus æqualis Petro docetur ex Ambroſio c. beati. 2. quæſt. 7. Et Concilium Epheſinum in Epiſtola ſynodali ad Neſtorium, *Petrus & Ioannes æqualis ſunt ad alterutrum dignitatis, propterea quod Apoſtoli & sãcti diſcipuli eſſe mõſtrantur.* Ordo enim ſacerdotalis non recipit plus aut minus. Nec pares tantũ fuerunt in Epiſcopali dignitate, & in cõſecratione, ſed & in adminiſtratione & iuriſdictione: Nuſquam enim legitur Apoſtolos quicquam conſtituiſſe, niſi in commune: ſiue alius in locum Iudæ inſtituendus: ſiue creandi Diaconi: ſiue de circuncisione gentium: ſiuel de eorum vocatione: ſiue de diſceſſione à lege Moſis decernendum. Epiſcopi autem vices Apoſtolorum tenent. c. vlt. 68. diſt. ex Auguſtino. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. *Omnes Præpoſiti vicaria ordinatione Apoſtolis ſuccedunt.* Et Papa eos ſemper fratres & Coëpiſcopos appellat, Petrus Conſeniores, cap. vlt. Et optime Cyprianus vnicam Eccleſiã

D

Digitized by Google

eſſe, vnicum Sacerdotium in multos diuiſum. Et Euariſtus Epiſt. 2 *Sacerdotes vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſiæ, & ſicut ei ſua coniuncta eſt ſponſa, id eſt, Eccleſia, ſic Epiſcopis iunguntur Eccleſiæ vnicuique pro portione ſua.* Et Epiſcopi omnes Chriſti Vicarij ex Ambroſio c. mulier 33. quæſt. 5. At illa ęqualitas maxime Ariſtocratiam arguit. Et certe miſeratione dignior Durãdus, quam cui reſpondeas, qui negat Apoſtolos, præter Petrum, miſſionem ordinariam habuiſſe. Id de ſuo non ex ſcrip-
9 tura, nec ex patribus. Quarto, quod Petrus reſponderit Eccleſiæ, cum accuſatus eſt de introductione præputiatorũ in Eccleſiam, Act. 11. Monarcham abſolutum non fuiſſe deprẹhenditur. Petrũ autem potuiſſe hanc accuſationem repellere ex officio, quod poteſtatẽ regni acceperat, ſed humilitatis diſpenſatione reſpondiſſe, vt vult. c. Petrus 2. quęſt. 7. Hoc vix credam: cum Apoſtoli ſi illam regiam poteſtatem Petri agnouiſſent, ab eius accuſatione abſtinuiſſent: & accuſationis quidem illius teſtis

eſt ſcriptura, huius Regiæ poteſtatis
nullum veſtigium in ea reperies. Adde
quod illam ſupremam poteſtatem tem-
poribus Apoſtolorum nõ habuiſſe cer-
tum eſt, quæ eius ſucceſſoribus collata
eſt ab Eccleſia, poſterioribus tẽporibus.
Quantum ad vſum primitiuæ Eccleſiæ 10
canon eſt Apoſtolorum 33. *Epiſcopos
vniuſcuiuſque gentis noſſe oportet eum, qui
eſt primus, & exiſtimare vt caput: & nihil
facere quod ſit arduum aut magni momenti,
præter illius ſententiam: Sed nec ille abſque
omnium ſententia aliquid agat.* Idem in
Concilio Antiocheno can. 9. *Secundum
inquit, antiquã à Patribus noſtris regulã con-
ſtitutã.* Adde quod diximus ex Gl. in c. re-
latũ 11. quæſt. 1. quæ agnoſcit in primi-
tiua Eccleſia obtinuiſſe, vt nihil, niſi in
Eccleſia iudicaretur. Hinc Nicæna ſy-
nodus, Conſtantinopolitana in Trullo,
Antiochena, & multæ aliæ, bis in anno,
aut ſingulis annis, aut ſingulis bienniis,
decreuerũt ſynodos fieri. Sed & illud re-
gimen Eccleſiæ, rationi maxime cõſen-
taneum eſt. Non eſt enim veriſimile, 11
Deum vni ſoli, quicunque is ſit, iudicij

iuſtitiam inſpirare, multis autem Epiſcopis in vnum congregatis denegare; vt aiunt patres Concilij Africani. *Firmum decretum*, inquit Eccleſia Romana ad Cyprianum lib. 2. Epiſt. 7. *non poteſt eſſe, quod non plurimorum videtur habuiſſe conſenſum*. Et periculoſum cauſam fidei vnius iudicio relinquere, Archidiac. in c. Anaſtaſius, Diſt. 19. & Innocentius in c. ſcitote. 6. quęſt. 3. I*n Concilio ſunt iudices ordinarii: Vnde* P*apa præſidens nihil poteſt ſine coniudicibus, qui cum ipſis facit vnum corpus, quod Concilium vocatur.* Idem Hoſtienſ. in cap. graue, De præ-
12 bend. Et illud eſt maxime naturæ congruum. Nam *Cum plures ſunt*, inquit Ariſtot. 3. Polit. cap. 7. *Vnuſquiſque partem habet virtutis & prudentiæ, ac fiunt in vnum collecti, quaſi homo vnus Quapropter melius iudicant multi: alii enim aliud, & cuncti cuncta diſcernunt*. Deinde certum
13 eſt, quoſdam caſus eſſe in quibus Concilium poteſt in ſummum Pontificem animaduertere: vt in caſu ſchiſmatis: aut ſi Papa velit ſtatum Eccleſiæ ſubuertere, Doct. c. ſicut ſancti. 15. diſt.

cap. cũ conſuetudinis. Extr. de conſuet. Item ſi Papa in hæreſim lapſus eſt, aut ſi per ſimoniam Põtificatum adeptus eſt. c. 1. diſt. 23. At futile effugium eſt, Concilium, ſcilicet, id poſſe, quia hæreticus eſt extra Eccleſiam, & deſinit eſſe Papa. Papa enim non poteſt priuari Pontificatu antequam hæreticus ſit declaratus: & hoc omnes Doctores aſſerunt ex d. c. 1. diſt. 23. & c. ſi quis pecunia, 79. diſt. Ergo vt Papa cauſam dicit; & illius verus eſt iudex Concilium, cum in inſtructione litis æque ſit iudex, ac in proferenda ſententia. At illud eſt præter naturam Monarchiæ, vt ab inferioribus
Monarcha iudicetur. Poſtremo in Con- 14
cilio Conſtantienſi decretum eſt Papam eſſe obnoxium canonibus latis ad reformationem Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris. Papæ enim poteſtas data eſt in ædificationem, non in deſtructionem: quo nihil magis contrarium Monarchię abſolutæ. Verum cum hæc dico non loquor de Ariſtocratico regimine ſolo: ſed de ſtatu Monarchico, Ariſtocratico regimine temperato.

At cum Richerius idem dicat, volunt calumniatores, vt inuidiam in eum cōflent, id in Regiam auctoritatem dictū perſuadere: & improbe. Nam Galliæ regnum eſt pure & abſolute Monarchicum: & hoc facile eſt probare: Eccleſiæ autem tale eſſe regimen, impoſſibile. Gl. in extrauag. com. de dolo & contumacia in fine. *Duplex eſt Principatus, deſpoticus, & politicus. Primus eſt domini ad ſeruum, qui non habet ius reſiſtendi, eo quod ſeruus eſt domini totaliter*: *Secundus eſt principatus liberorum, qui habent ius in aliquo reſiſtendi. Et talis eſt principatus Eccleſiæ circa ſubditos. Non enim eſt verisimile, quod principotus Eccleſiæ ſit deſpoticus: non enim ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.* Vnde Papa dicitur diſpenſare, vt cum filiis, non cum ſubditis, vt princeps. cap. per venerabilem, Ext. qui fil. ſint legit. Et ideo ei non obediendum, quando timetur, ne ex eo multa mala proueniant, vel quod ex eo ſcandaliſetur Eccleſia. Notat Innocent. cap. inquiſitionis, Ext. de ſent. excom. Quod autem Archiepiſcopus Tarentinus Papam eſſe caput &

Primatem Eccleſię dicit, nego apud au- 15
ctores probatos, primatum illa notione vſquam vſurpatum, vt Monarchiam ſignificaret: Nam non ſolum Romanus Pontifex Primas eſt, ſed etiam alij Epiſcopi primarum ciuitatum, quos Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, Primates eſſe conſtituerunt, c. nulli. 99. diſt. aut quibus ciuitatis dignitas contulit, vt Primates eſſent, c. vrbes, 80. diſt. Nec illos Primates Monarchas eſſe abſolutos fatebuntur Doctores noſtri. Sed dicendum, Primatum obtinere Pontificem, vt inter alios Epiſcopos, ſed & illos Primates, ſit primus, & caput, quemadmodum inter Apoſtolos Petrus, & vt canones, aut antiqua conſuetudo, aut Principes voluerunt. Sed vt ſit Primas, ita vt habeat poteſtatem Monarchicam ſuper omnes Eccleſias, ſemper Patriarchæ Conſtinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus reluctati ſunt. Hoc tamen ex epiſtola Anacleti probare nituntur, quæ refertur. c. ſacroſancta, diſt. 22. & c. in nouo, 21. diſt. At quam ridicule

cauillatores Richerium reprehendunt, quod dicat ex Hincmaro, paruam eſſe adhibendam fidem epiſtolis decretalibus ante Nicænam ſynodum, cum & ipſi de libro Damaſi, de Clementis epiſtolis, licet ſæpiſſime in iure canoniſatę ſint, controuerſiam faciant: & de canonibus Apoſtolorum, licet & à ſynodis, & à Pontificibus, recepti ſint. c. placuit. c. quoniam, 16. diſt. At epiſtolas illas Anacleti, tum multas alias cæterorum Pontificum ante tempus Concilij Nicæni, nullius eſſe fidei, facile eſt probare, quibus multas epiſtolas fuiſſe falſo tributas, ſcriptores Eccleſiaſticę hi-
16 ſtoriæ referunt. Primum Anacletus in his epiſtolis Clementi ſe ſucceſſiſe ſæpiſſime profitetur: At Anacletum Lini, non Clementis, ſucceſſorem teſtantur Irenæus, Euſebius, Hieronymus. Non ignoro quoſdam probatos auctores Linum, & Cletum, ſeu Anacletum, Romanos non fuiſſe Pontifices dicere, ſed Petri vicarios duntaxat Romæ conſtitutos, in gubernationem Eccleſiæ, dum Petrus Apoſtolatui vacaret, alios

Anacletum Clementi, non Euariſtum ſucceſſiſſe, ſed iidem Cleti qui Lino ſucceſſerit nō meminerũt: Ita vt in tali varietate auctorũ, videatur antiquioribus maiorem eſſe adhibēdam fidem, quorũ antiquiſſimi, Irenæus, Euſebi⁹ Hieronymus. Deinde harũ epiſtolarũ nulla facta eſt mentio à ſcriptoribus Eccleſiaſticis, cum tamen multarum meminerint, quę minoris ſunt momenti, quam eæ, quibus decreta continentur ad totius Eccleſiæ regimen & ornamentum. Tertio Anacletus paſſim ſe à Petro presbyterum Eccleſiæ Romanæ ordinatum affirmat, & eorum quæ ſcribit ſæpius Petrum laudat auctorem, cuius & ſe æqualem facit: Tamen, ceu Petri oblitus, multa ab antiquis & ſanctis Patribus accepiſſe ait Epiſtol. 2. A quibus tandē antiquis, & à quibus ſanctis Patribus, ſi ipſe ordinatus à Petro, & tempore Petri fuerit? quos Patres Petro antiquiores ſibi fingent? Quarto quis credat hominem Græcum, verbum exoticum Cephas, pro vernaculo ſumpſiſſe: tantæque negligentiæ illum patrem ſan-

ctiſſimũ audebit inſimulare, quod Ioannem Cephas dicentem legerit, interpretantem autem, id eſt, Petra, non oſcitãter, ſed cæcis oculis, & auribus obturatis, non adeptus ſit? Quinto ait, Secularium iudiciorum appellationes ad Epiſcopos referri, ex Chriſti, & Apoſtolorum ordinatione: at tantum abeſt vt hoc Apoſtoli voluerint, quin vetent Epiſcopum ſecularium curas ſuſcipere, ad publicas adminiſtrationes admitti, & magiſtratum affectare, ſub pœna depoſitionis. c. Apoſt. 6. 81. 83. Sexto epiſtola. 2. Epiſcopos vix quidem accuſari, ſed omnino iudicari, niſi à Domino prohibet, cum. c. Apoſt. 74. cõtrarium decernat, & paſſim Epiſcopus ob varias cauſas deponendus ſit, vt ipſi canones nos docent. Septimo in epiſt. 2. Septuaginta diſcipulos, ab Apoſtolis electos eſſe affirmat, quod Chriſtum feciſſe certum eſt. Octauo de priuilegijs Eccleſiarum & ſacerdotum Apoſtolos decreuiſſe, & leges Eccleſiæ firmandas eſſe Apoſtolica auctoritate, cum eius tempore nullæ leges Eccleſiæ conſcriptæ ſint,

nedum confirmandæ. Nono in Concilio Chalcedonēſi cum à Legatis Romanæ ſedis, Primatus Epiſcopo Conſtantinopolitano negaretur, illi non decreta Anacleti, nec aliorum Pontificum, vt quæ totam Eccleſiam ligarent: ſed 6. tantum canonem Nycænę ſynodi propoſuerunt, quo Pontificem Romanum Primatum ex canonibus habere probarent. Quem canonem falſum patres Chalcedonenſes iudicauerunt: & tamen eo vanitatis & impudentię Durandus deuenit, vt eundem canonem pro vero nobis obtrudat, vt per fas & nefas quod vult oſcitanti lectori perſuadeat. En qualem concionatorem quadrageſimarium: Non ille in legem Corneliam incidit, vel ipſo ſacroſancto Concilio Oecumenico teſte & iudice? Decimo Epiſcoporum iudicia & appellationes ad ſedem Romanam refert, & tamen Legatis ſedis Apoſtolicæ in Cōcilio Africano, cui intererat Auguſtinus, alium canonem Nycænæ ſynodi duntaxat, non epiſtolas decretales Anacleti, aut alterius laudauerunt: quem tamen ca-

ponem ſubreptitium eſſe, ex authenticis exemplaribus eiuſdem ſynodi deprehenderunt Patres Africani. Poſtremo quis tam ſtolidus eſt, qui Patrum monumenta legerit, vt non iudicet hæc verba epiſtolæ, *Cæteri vero Apoſtoli cum eodem* Petro, *pari conſortio, honorem & poteſtatem acceperunt*, eſſe deprompta ex Cypriano lib. de vnit. Eccl. *Hoc erant*, inquit, *vtique Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis.* Quod ſi ineptias, quib9 illę epiſt. farciũtur cõſideres, facile deprehendes cuiuis alij competere potius, quam ſanctiſſimo Patri, quem Petrus dignum presbyteratu Eccleſię Romanę iudicauerit, & Eccleſia Romana Petri ſucceſſorẽ digniſſimum. Sed vt ex vnguibus leonem: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet: illud Chriſtum dixiſſe de teſtibus aduerſus Epiſcopum vult nobis perſuadere. Tu qui es, qui iudicas ſeruum alienum? Ergo nulli competit Epiſcopum iudicare: quia ſeruus Domini eſt. Quaſi cæteris Chriſtianis

ſeruos Domini eſſe non liceat: & infi-
nita alia, quæ prætermitto, breuitati
ſtudens. Cæteris autem epiſtolis vix fi-
dem adhibebit lector diligens; in qui-
bus multa ſuppoſita facile deprehen-
det, ſed volumine non commentario-
lo opus eſſet. Itaque valeant conuiciato-
res, ſi nullis aliis Patrum monumentis
nituntur, quibus Monarchiam abſolutã
Primatis & Pontificis Romani probẽt.
Hoc tamen tentat Durãdus; quod Ro-
mana Eccleſia Apoſtolica dicatur ſedes.
Sed quid ſit Apoſtolica ſedes, vel turpi-
ter neſcit, vel dolo diſſimulat. Nam qui 17
monumenta Patrum, & geſta Conci-
liorum primoribus labris deguſtauit,
non poteſt non ſcire, quatuor fuiſſe A-
poſtolicas Eccleſias, Romanam, Alexã-
drinam, Antiochenam, & Hieroſolymi-
tanam: ſic dictas, quod in illis Apoſtoli
Epiſcopatu functi ſint, Romæ & Antio-
chiæ Petrus, Hieroſolymis Iacobus, A-
lexandriæ Marcus, quem vt Apoſtolum
coluerunt Patres. Aut ſecundum Ter-
tullianum lib. de proſcript. aduerſ. hær.
Cuius primus Epiſcopus aliquem ex A-
Digitized by Google

poſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui cum Apoſtolis perſeuerauerunt, habuit au-ctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo, inquit, Eccleſiæ Apoſtolicæ ſuos cenſus deferunt. His autem ſedes quatuor ab ineunte Eccleſia Patriarchatus nomen & auctoritatem conſecutæ ſunt: ita. vt, quæ prouinciæ illis attributæ erant, neminem alium ſupremum, quam ſuum Patriarcham agnoſcerent. Et hoc, non quod ab Apoſtolis illis attributæ ſint, ſed quia, vel ab ipſis ſedibus epiſcopi conſtituti, vel quia hinc veram doctrinam, vt ex fontibus haurirent Apoſtolicis, vel voluntate prouinciarum. Sed quicquid ſit, ita antiquiſſimus vſus innaluit, qui ſemper in Eccleſia maximi fuit ponderis. Illius conſuetudinis, vt veteris, meminit ſynodus Nicæna 6. & 7. can. quam etiam obſeruãdam decernit: *Antiqui mores ſeruentur in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexãdrinus Epiſcopus horũ omnium habeat poteſtatem: quandoquidem & Epiſcipo Romanu hoc eſt conſuetum: ſimiliter & in Anaiochia. & aliis prouincits, ſuæ priuilelia, ac ſuæ dignitates, & auctorita-*

tes, Eccleſiis ſeruentur: *Et in Ælia Epiſcopus habeat honoris conſequentiam*, *Metropoli propria dignitate ſeruata.* Ælia autẽ ſunt Hieroſolymę, quas à Tito euerſas ælius Hadrianus reſtituit, & Æliam ſuo nomine appellauit. Et ſic intelligendus eſt locus Irenæi: *Ad hanc Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Potentiorem dicit; ad comparationem cæterarum, quæ etiam erant principales, vt potè ab Apoſtolis inſtitutę. Vetus igitur mos fuit, ante Nicænam ſynodũ, vt illæ Patriarchales ſedes totum orbem regerent. Et quamuis aliæ fuerint Apoſtolicæ ſedes, vt Smyrnenſis, quam inter eas nominat Tertullianus, tamen vt vſu cæteræ ſemel adeptum honorem conſeruauerũt, eodem vſu & aliæ hanc prærogatiuam amiſerunt. Alexandrinus igitur Epiſcopus Primatum obtinebat Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis: Antiochenus Syriæ, Cœleſyriæ, Meſopotamiæ, & vtriuſque Ciliciæ: Hieroſolymitanꝰ Paleſtinę, Arabię, & Phoenicię: Cęterarũ autem prouinciarũ Orientis, &

totius Occidẽtis, & Africanarũ, Romanꝰ: quod Ecclesiæ, quę erant cõſtitutæ à Petro & Paulo, qui plus cæteris Apoſtolis laborauit, illam Eccleſiam, vt matricem, agnoſcebant. Et hoc confirmatum in ſynodo Conſtantinopolitana. c. 2. Priuilegia, ſcilicet, Alexandrinę & Antiochenæ Eccleſiæ ſecundum canones Nicænos, conſeruanda: Conſtantinopolitano tamen Epiſcopo, Patriarchatus, & Apoſtolicæ ſedis honorem & dignitatem de nouo tribuerunt: ita vt eſſet ſecũda poſt Romanã, ſedes. Quod & Chalcedone confirmatum c. 27. Et Conſtantinopoli in Trullo c. 36. Hoc ordine, vt Romana ſedes eſſet caput quatuor ſedium, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ: Hæc ſecundas, Alexandrina tertias, Antiochena quartas, Hieroſolymitana poſtremas partes obtineret. Qui ordo ſemper obſeruatus eſt in Cõcilijs Oecumenicis, vt hi quinque Patriarchæ, vel eorum Legati, eſſent prę- ſides. Et quod Romanos Pontifices adeo torſit, vt Patriarcham Conſtantinopoli-

nopolitanū tam grauiter ferrent, illud eſt, quod prouinciæ, quæ ſunt in Ponto, in Aſia minore, & Thracia, quæ erant Patriarchatus Romani, Conſtantinopolitano attributæ ſunt in Concilio Chalcedonenſi act. 16. Quod tamen credo in ſynodo Conſtantinopolitana iam decretum fuiſſe, ſed explicatum in Concilio Chalcedonenſi. Hæc quæ dicta ſunt falſi arguunt donationem Con- 18
ſtantini Pontifici Romano inſcriptā. Edicto enim huius donationis cautum eſt, vt ſedes Romana ſit caput quatuor ſedium Patriarchalium, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ. At tempore Conſtātini ſedes Bizantina, quæ poſt Conſtātinopolis dicta eſt, hoc priuilegio non gaudebat, quod ei duntaxat decretum eſt in Concilio Conſtantinopolitano, quod fuit celebratum quinquaginta annos poſt illud edictum, & ædificationem Conſtantinopolis. Adde quod data nullo modo conuenit. Ait enim datum fuiſſe Conſtantino IV. & Gallicano Coſſ. At quartus conſulatus Con-

ſtãtini incidit cum Licinio Imperatore in annum octauum Conſtantini, Septẽdecim annis antequam Conſtãtinopolis conderetur. Condita eſt enim viceſimo quinto Conſtantini, Pacatiano & Hilariano Coſſ. Quod autem ad Gallicanum attinet, quem conſortem conſulatus cum Conſtãtino nominat, numquam fuit Conſul cum Conſtantino. Bis tantum conſulatum geſſit: Primum cum Septimio Baſſo, decimo Conſtantini, alterum cum Symmacho viceſimo tertio, vtrumque ante Conſtantinopolim conditam: tantum abeſt vt fuerit Patriarchalis ſedes. Adde quod nulla fit mentio indictionis, quam, vt nouiter introductam, & religioſiſſime in omnibus edictis obſeruatam, non eſt veriſimile Conſtantinum prætermiſſurum fuiſſe. Indictiones enim anno ſexto Conſtantini inceperunt. Sed & ſagaciores illud edictum Græce ſcriptum deprehenderunt: at non veriſimile eſt Conſtantinum alio, quam vernaculo idiomate hoc edictum ſcripturum fuiſſe, maxime cum de Romanis rebus,

& cum viris Latinis ageret: Qui etiamſi Græce callebat, tamen maternæ linguę ita amans fuit, vt verba Latine fecerit apud Epiſcopos Græcos in conſeſſu Nicæno, & interpres adhibitus. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. cap. 13. Sunt multa alia quæ in hãc rem dici poſſent, quæ curioſius alius poteſt indagare. Nos autem ad rem de qua agimus. Dico igitur multas Apoſtolicas Eccleſias fuiſſe ex Irenæo, Tertulliano, Auguſtino contra Iulianum Pelagian. lib. 1. cap 2. Interpres Actor. Sylueſtri in proëmio apud Gregorium XIII. fine c. Conſtantinus, 96. diſt. numerat Apoſtolicas Eccleſias, Romanam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Epheſinam, & Alexandrinam. Male Epheſinam. Ea quidem inter Apoſtolicas antiquitus numerabatur, ſed in Concilio Chalcedonenſi Patriarchatus honore priuatam eſſe aſſerit Euagrius lib. 3. cap. 6. Sed puto & Euagrium falli, quia Epheſina Eccleſia eo honore non gaudebat tempore Nicænæ ſynodi.

Digitized by Google

Quædā autē & aliæ Eccleſię, & Patriarchaliū & Apoſtolicarū nomen & honorem adeptæ ſunt ex priuilegio Iuſtiniani. Nouel. 131. cap. 3 & 4. Quod ſtatim poſt Iuſtinianum euanuit. Apoſtolicarum autem Eccleſiarum maxima fuit auctoritas. In diſſidio paſchatis tempore Victoris, fortiter Pontifici Romano reſtitit Polycrates Epheſinus Epiſcopus, ſuæ traditionis laudans auctorem Ioannem Apoſtolum, ille Petrum & Paulum, Socrat. lib. 5. cap. 21. Aduerſus Hydroparaſtatus conſuetudinem Hieroſolymitanę Eccleſiæ à Iacobo inſtitutæ oppoſuerunt. Tertullianus lib. de præſcrip. aduerſ. hær. *Conſtat omnem doctrinam, quæ cum illis* Eccleſiis *Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei, conſpirat, veritati deputandam.* Quo ſenſu & Cyprianus, Tertuliani cultor, Romanam Eccleſiam, Matricem & radicem appellat, lib. 4. epiſt. 8. Auguſtinus inter canonicas ſcripturas, epiſtolas maxime Eccleſiis ſcriptas, quæ ſedes habent Apoſtolicas annumerat, lib. 2 de doct.

Chriſt. cap. 8. qui locus deprauatus à Gratiano, reſtitutus eſt à Gregorio XIII. c. in Canonicis. 19. diſt. Hæ ſedes etiã præſentibus Pontificibus, nec abnuẽtibus, dictæ ſunt Patriarchales, & Apoſtolicæ, in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. & Conſtantinopolitanus Patriarcha, Oecumenicus, ſeu vniuerſalis dictus. Quo nomine etiam cenſebantur 19
& aliarum ſedium Patriarchæ. Euſeb. lib. 3. de vita Conſt. cap. 59. de ſede Antiochena verba faciens: *Sic putato, te in hoc ipſo plane beatum, quod totius, prope dixerim, orbis terrarum teſtimonio dignus iudicatus ſis, qui vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopatu perfungaris.* Sozom. lib. 2. cap. 18. *Quod non ad vnius ciuitatis, ſed ad totius orbis terræ Epiſcopatum adminiſtrandum idoneus iudicatus eſſet.* Et Alexandrinus Epiſcopus eadẽ ratione, Iudex vniuerſi orbis, dicebatur, Niceph. lib. 14. cap. 34. In epiſt. Clemẽtis, *Iacobo fratri Domini, & Epiſcopo Epiſcoporũ, Regẽti Hebræorũ ſanctã Eccleſiã Hieroſolymis, ſed & omnes Eccleſias, quæ vbique Dei prouidẽtia fundatæ sũt.* Et Cyrillus Hieroſol. 6. Catecheſi: Hie-

ruſalem eſſe ſuperiorem Apoſtolorum Eccleſiam. Sic accipiendus eſt. c. vlt. 99. diſt. qui eſt Gregorij ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, quem reprehendit, quod cum appellaret Papam vniuerſalem, cum & ipſe Eulogius eſſet Alexandriæ, quod Gregorius Romæ. *Si enim*, inquit, *vniuerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur, vniuerſum.* Iſidorus. c. 1. diſt. 21. *Patriarcha, Græca lingua, ſummus Patrū interpretatur, quia primum, id eſt, Apoſtolicum retinet locum: Et ideo, quia ſummo honore fungitur, tali nomine cenſetur, ſicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus.* Gratianus addiderat particulam *Poſt Apoſtolicum*, vt Primatum Romani Pōtificis magis extolleret: ſed hic locus à Gregorio XIII. reſtitutus eſt. Nicolaus 1. ad Michaelem Imp. *Per has tres præcipuas Eccleſias* (Romanam, ſcilicet, Alexandrinam, & Antiochenam) *omnium Eccleſiarum ſollicitudo, beatorum Apoſtolorum principum, Petri ac Pauli, procul dubio moderamen expectat.* Et harum rerum ignari andabatæ noſtri, non aduertunt, cum

Digitized by Google

Occidentales Patres Pontifices Romanos vocant vniuerſalis Eccleſię Epiſcopos, id more ſuarum Eccleſiarum facere, & ea notione, non quod putent totius orbis vniuerſalis, vniuerſales eſſe Epiſcopos, ſed eadem qua Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, dicũtur vniuerſales: aut, vt vniuerſales Eccleſiarum quæ ſunt ſub eorum Patriarchatu: aut quod in Cõciliis Oecumenicis toti Eccleſiæ præſint. Quo ſenſu Auguſtinus contra Iulianum Pelagian. lib. 1. cap. 2. cum ageret aduerſus Pelagianos, auctoritatem Patrum allegat, Irenæi, Cypriani, Rheticii, Olympii, Hilarii, Ambroſii: deinde ait, *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus in eis eſt commemoratus à nobis, Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſsimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium (i audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem*

tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quibus Auguſtinus videtur innuiſſe quod decretum eſt in Concilio Conſtantinopolitano, *Orientem ſolum Orientis Epiſcopi gubernent* : quandoquidem Occidentem Pontifex Romanus regebat. Nec hoc dicto autument iſti cenſores, me velle aliquid auctoritati ſummi Pontificis detrahere, ſed vt demonſtretur, quod Apoſtolica ſedes Romana vocetur, aut quod Pōtifex romanus vocetur vniuerſalis, Catholicus, Oecumenicus, hoc nihil ad Monarchiā abſolutā facere. Nam licet non ſit Monarcha abſolutus, Patriarchis tamen præeſſe certum eſt, & inter Epiſcopos totius orbis maximæ eſſe auctoritatis, ita vt cæteri Patriarchę ad eum confugerint, Athanaſius Alexādrinus, à Tyri, & Antiocheno, Conſtantinopolitani Flauianus, ab Epheſino, Chryſoſtomus, à Conſtantinopolitano latrocinio inique damnati, vt facilius abſolutionem ſuam conſequerentur: quam tamen non à Pontificibus Romanis, ſed à Concilio expectabant, cuius coactionem facile à Principibus

Pontifices, ob eorum dignitatem, poterant impetrare. Tantum enim abeſt, vt eorum Patriarcharum abſolutionem à Pontificibus R. factam Orientales Epiſcopi agnoſcerēt, vt iis reiectis quæ de Athanaſii reſtitutione decreuerat Iulius in Concilio Romano, abſque Imperatoris auctoritate collecto, & Concilium Sardicenſe coactum ſit, quod de Athanaſii reſtitutione cognoſceret, & Athanaſius ſedi ſuæ reſtitutus ſit, non in vim ſententiæ Iulii, ſed decreti Concilii Sardicenſis. Quæ ſufficiant ad ea quæ inepte effutit Durandus pag. 141. Ad abſoluendam autē memoriā ſanctiſſimi Præſulis Flauiani, Concilium Chalcedonenſe congregatum eſt: Et Innocentius Arcadium Imperatorem anathemate percuſſit, quod Concilium ad abſolutionem Chryſoſtomi nō coëgiſſet, Sozomen. lib. 8. cap. vlt. Niceph. lib. 13. cap. 34. & Cedren. in Compend. hiſt. id quod Monarchiam abſolutam deſtruit. At cum noſtri Doctores hunc Primatum veris Patrum teſtimoniis fulcire fruſtra conati ſint, videamus an id

Digitized by Google

meliori omine Durandus ſuis præſti-
20 giis tentauerit. Primum refert ex ſyno-
do Chalcedonenſi pag. 45. *Sanctiſsimus ac beatiſsimus Papa, caput vniuerſalis Eccleſiæ, Leo, per nos Legatos ſuos, ſancta ſynodo conſentiente,* Petri *Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & coeleſtis regni ianitor, nuncupatur,* E*piſcopali dignitate Diſcorum nudauit, & ab omni ſacerdotali opere fecit extorrem*. Et hęc ait eſſe verba ipſiſſima ſynodi. Sed & eſſe verba ſynodi falſum eſt, sũt enim verba Legatorum Pontificis, & eadem verba bona fide referre falſum eſt, quæ talia ſunt: *Sanctiſsimus, & beatiſsimus* Ar*chiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem ſanctam ſynodum, vna cum ter beatiſsimo & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra, & crepido Catholicæ* Eccl*eſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamẽtum, nudauit eum tam* E*piſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio. Igitur ſancta hæc & magna ſynodus, quæ placent regulis ſuper memorato Dioſcoro decernat.* An igitur Durandus non eſt perfrictæ frontis, qui

Digitized by Google

ſua verba, pro verbis ſanctæ ſynodi Oecumencæ ſupponit? & addit condemnationem Dioſcori auctoritate Papę factam, non Concilii, idque ſynodum agnouiſſe: cum hæc verba Legatorum Papæ contrarium demonſtrent? *Igitur ſancta hæc & magna ſynodus quæ placent regulis ſuper memorato Dioſcoro decernat.* Ex quibus poſterioribus verbis patet, & Dioſcorum ſecundum canones condemnatum, & non abſoluta auctoritate Pontificis, & canonum interpretationem, durante Concilio, ab eo petẽdam, & priores partes in proferenda ſententia duntaxat habuiſſe. At quæ dicit de Mennia præſide Epheſinæ ſynodi, pag. 60. Mennas quidem æque fuit præſes Epheſinæ ſynodi, ac Pharaones Ægypti ſub Imperatoribus Romanis, quod ait pag. 144. Epheſinæ ſynodi Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, Mennas Conſtãtinopolitanus, ſynodi Cõſtantinopolitanę cõtra Anthimũ pręſides fuerunt. Itẽ ex Optato Mileuitano pag. 96. *Cathedra vna eſt, & negare non audes, ſcire te primum in vrbe Roma cathedram eſſe colloca-*

tam, vbi ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent. Quot fere verba, tot impoſturæ. Hæc ſũt verba Optati etiam in editione Marguarini de la Bigne, Doctoris Sorbonici: *Negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus: in qua vna cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas quiſque ſibi defenderent*. Addit Durandus in capite, *Cathedra vna eſt*: tollit *Epiſcopalem*: inuertit verba, & ſenſum Optati, cum ſcribit, P*rimum in vrbe Roma*, turpiſſime non ſolum, ſed & ineptiſſime. Prior enim Epiſcopalis ſedes conſtituta eſt ab Apoſtolis Hieroſolymis, in qua ſedit primus Iacobus Epiſcopus Apoſtolorum, vt ait Euſebius: inde Petrus Antiochiæ. Item ſcribit I*n quo vno, cathedræ vnitas*, quod dixit Optatus, I*n qua vna cathedra, vnitas* &c. vt inde probaret claues datas vni Petro, non Eccleſiæ: Sed ſi

vellem omnes falſitates, quibus libellus Durandi ſcatet perſequi, maximo volumine opus eſſet.

IV. A CHRISTO non ab hominibus. Cum Deus Saül & Dauid reges conſtituiſſet, tamen voluit eos & à populo: eligi, non quod Dei electio non ſufficeret, ſed vt oſtenderet, reges non inuitis dediſſe. Sic & inter Apoſtolos poſt Aſcenſionem Chriſti factum fuiſſe teſtantur Patres. Nam licet Petro à Chriſto datus ſit Primatus, vt ſupra docuimus, tamen ei denuo Apoſtoli Primatũ detulerũt, Chryſoſt. Homil. 51. in Matth. *Apoſtoli, gratia accepta, vbique Primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.* C. in nouo 21. diſt. *Apoſtoli cum Petro pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque principem eorum eſſe voluerunt.* C. ſacroſancta, 22. diſtinct. *Inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio* (male addiderat Gratianus, poteſtatis) *& licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, & ipſi inter ſe idipſum volue-* 1

Digitized by Google

runt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis. Quod etiam poſt Petrum, in ſucceſſores eius, ab Epiſcopis, qui vices aliorum Apoſtolorum tenent, obſeruatum eſt. In epiſt. ſynodum. Concilium. Roman. ſub Felice II. cap. 12. *Apoſtolicæ ſedis dignitas, quæ ei ab ipſo Domino eſt conceſſa, & poſtea à ſanctis Patribus roborata.* Et Gelaſius ad Anaſtaſ. Imp. *Apoſtolicæ ſedis auctoritas, quod cunctis ſeculis Chriſtianis, Eccleſiæ prælata ſit vniuerſæ, & Canonum ſerie paternorum, & multiplici traditione firmatur.* Verum hic Primatus ad hoc non erat, vt omnia pro imperio ageret ſucceſſor Petri, ſed vt cõſilii Eccleſiaſtici, id eſt, Cleri, eſſet moderator & præſes, vt ait Cyprianus, & in rebus arduis, & magni momenti, Concilium Epiſcoporum cogeret, quibus prę ſideret, vt patet ex can. 33. Apoſtolorum At quæ plenitudinem poteſtatis ſpectant Romani Pontificis, ea ſpecialiter illi poſtea acceſſerunt, aut à Conciliis, aut vſu & conſuetudine, aut propter vrbis amplitudinem, aut ab Imperatoribus. c. conqueſtus 9. quæſt. 3. & cap. 2. De off.

iud. ord. *Primates vel Patriarchas, nihil priuilegii habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca cõſuetudo illis antiquitus contulit, definimus.* Ioannes Pontifex maximus in l. inter claras. C. de ſumma Trinit. & fid. Cath. *Eccleſiam Romanam eſſe omnium Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant.* Apellationes Epiſcoporum ei decretæ ſunt in Concilio Sardicenſi. c. 3. 4. 5. *ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum non oportere, præter ſententiã eius, Concilia celebrari nec, Epiſcopum dãnari*, Iulius in c. dudum 3. qu. 6. vbi Gl. *Sic ergo* (inquit) *Concilia dederunt Primatũ Romanæ Eccleſiæ.* Nicæna ſynodus prouincias quaſdam ſubiectas Pontificibus Romanis, ab vſu & conſuetudine teſtatur c. 6. Imperator Conſtantinus Romanam Eccleſiam caput eſſe omnium Eccleſiarum ſtatuiſſe dicitur. c. Conſtantinus. 96. diſt. Iuſtinianus idem decernit. d. l. inter claras. Idem & Phocas teſte Beda, lib. de ratione temporum, & Paulo Diacono lib. 18. In Concilio Chalcedonenſi, & poſt à ſubſequenti-

Digitized by Google

bus Patribus oblatum eſſe Romanis Pontificibus, vt dicerentur Papæ vniuerſales teſtatur Gregorius epiſt. 30. lib. 7. Quæ cum ita ſint, certe Pontificem, non ſolum eſſe propter Eccleſiam, ſed etiam per Eccleſiam, fatendum eſt. Hac enim ratione Valla vtitur pag. 134. Petrum non eſſe per Eccleſiam, quod Chriſtus, nõ Eccleſia, eum elegerit. Sed quam turpiter fallatur, ex iis quæ diximus, facile conuincitur. Siue enim conſideres hanc plenitudinem poteſtatis, ſiue hanc maximam auctoritatem, inſignes has denominationes, hoc ſupremum tribunal, ab Eccleſia illi conceſſa omnia, ita vt recte dixeris, ſi Papa Primas eſt, id per Eccleſiam: ſi caput omniũ Eccleſiarũ, id per Eccleſiã: ſi habet plenitudinẽ poteſtatis, id per Eccleſiã: ſi iudicia Epiſcoporum, id per Eccleſiam. Quod autem conſuetudine Eccleſiaſtica, non alio iure, Romanam Eccleſiam obtinuiſſe, vt multæ prouinciæ ei ſubiicerentur, diximus expreſſum eſſe in ſynodo Nicæna c. 6. quem ſupra inſeruimus. III. id ſi alio iure, quam

Digitized by Google

conſuetudine, ad Romanum Pontificem pertineret, certe deſignaſſet ſynodus, alioquin magnæ inſcitiæ argueretur; & maximam faceret iniuriam Romano Pontifici, ſi quæ iure diuino illi competunt, ea ex conſuetudine quadam duntaxat tribueret. Nec enim ſtatuit, vt ſecundum præceptum diuinum, quædam prouinciæ, immo totus orbis illi ſubiiciatur, quod Chriſtus dixerit, Paſce oues meas, vel quod ſupra Petrum petram ædificaturus eſſet Eccleſiam, cum in cæteris, vel diuinæ ſcripturæ, vel Eccleſiaſtici canonis meminerit: ſed tantum, vt antiqui mores ſeruentur; quia ita obtinuit ea conſuetudo, & antiqua traditio. At Nicænæ ſynodi fidem in dubium reuocare non licet. Durandus tamen ſua ineptiſſima interpretatione conatur canonem deſtruere, vt dicat hoc velle duntaxat, Alexandrinum Patriarcham habere poteſtatem prouinciarum, Ægypti, Lybiæ, Pentapolis, quia hoc Romano conſuetum eſt, id eſt, quia conſuetum Romano Pontifici hanc poteſtatem concedere

Alexandrino Epiſcopo. Balſamon in hunc canonem. *Sextus & ſeptimus Canones ſtatuunt, quatuor* P*atriarchas, videlicet, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, ex antiquis moribus honorari:* E*t Alexandrinum quidem præeſſe prouinciis, Ægypti, Lybiæ,* P*entapolis: Antiochenum &c. Quoniam,* inquit, *& Romanus Epiſcopus præeſt Occidentalibus prouinciis.* Ruffinus, *Vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma, vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarũ* Ec*cleſiarum, ſollicitudinem gerat.* Synodus Conſtantinopolitana, vt refertur 16. act. Concilij Chalced: *Epiſcopi ſuper diœceſim, quæ trans finem ſunt,* Eccl*eſiarum, non tranſcendant, neque confundant* E*ccleſias: ſed ſecundum regulas,* A*lexandriæ quidem Epiſcopus ea ſolũ, quæ ſunt in Ægypto, diſponat: Orientis autem* E*piſcopi, Orientem ſolum gubernent, ſeruatis priuilegiis, ſecundum Canones Nicænos.* In epiſt. Synodal. Concilij Romani ſub Felice II. cap. 12. P*rimates illi, & non alij ſint, quàm in Nicæna ſynodo ſunt conſtituti.* Denique Innocentius epiſt. 18. *Reuoluentes auctoritatem Nicænæ*

ſynodi, quæ vna omnium per orbem terrarum expplicat mentem ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia, cunctis fidelibus, ne dixerim ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam prouinciam recognoſcimus conſtitutam. Per diœceſim prouincias quæ ei ſubiectæ erant intelli-
gens. Illa autem conſuetudo hinc ſum- 4
pſit exordium, quod initio naſcentis Eccleſię, dignitates Epiſcopis, ex dignitate vrbis, in qua ſedes erant, tributæ ſunt: Et Primates conſtituti in primoribus ciuitatibus, in quibus Primates legis ſeculi, etiam ante aduentum Chriſti erant, c. prouinciæ, 99. diſt. ita vt Epiſcopi prærogatiuas & priuilegia ſecundum nobilitatem ciuitatis conſequerētur. Sic & illa ſuprema poteſtas, teſte ſacroſancto Oecumenico Concilio Chalcedonēſi, Romano Pontifici à Patribus tradita eſt, quod erat primæ & Reginæ vrbis Epiſcopus: vt quemadmodum illa vrbs cæteris dominabatur, ita & eius Epiſcopus cæterorum eſſet princeps. Verba Concilij hæc ſunt: *Sedi ſenioris Romæ*

propter imperium ciuitatis illius Patres *conſequenter priuilegia reddiderunt: & eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantiſsimi* Epiſcopi, *æqua ſanctiſsimæ ſedi nouæ Romæ priuilegia tribuerunt: Rationabiliter iudicantes* Imperio *&* Senatu *vrbẽ ornatam, æquis ſenioris Romæ priuilegiis frui, & in* Eccleſiaſticis*, ſicut illa, maieſtatem habere negotiis.* Theodoſ. & Valent. lib. Nouell. Theodoſ. tit. 14. *Sedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, & ſacræ ſynodi, firmauit auctoritas.* In Canone. 2. Conſtantinopolitanæ ſynodi. & c. Conſtantinopolitanę, Diſt. 22. *Conſtantinopolitanæ ciuitatis* Epiſcopũ *habere oportet* Primatus *honorem, poſt Romanum* Epiſcopum, *propterea quod ſit noua Roma.* Quod innuit Innocentius. 1. epiſt. 18. de ſede Antiochena verba faciens: *Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quam quod prima primi* Apoſtoli *ſedes eſſe monſtretur.* Appellationes autem Epiſcoporum, vt dixi, decretæ ſunt ex Concilio Sardicenſi. Has autem vetuſtiores non eſſe

illo Concilio patet, tum quod verba canonis nouum eſſe ſtatutum ſatis oſtendunt, tum quod appellationes Epiſcoporum in Concilio Romano ſub Felice, vnanimi conſenſu attributæ erant Epiſcopis prouincialibus, & peregrina iudicia, id eſt, aliorum, quam Epiſcoporum, vetita, ſeptuaginta annis ante Concilium Sardicenſe. Deinde ille canon Sardicenſis Concilij, quod fuit celebratum tempore Iulii, viginti annis poſt Nicænum, propter vicinitatem, pro canone Nicæno à Legatis Pontificis, in Concilio Africano, adductus fuit ad confirmationem illius iuris, non ſacra ſcriptura. Quod ſi illud Conciliũ Sardicenſe fuiſſet Oecumenicum, vt quidam voluerunt, certe & illi Legati canonem Sardicenſem, pro Nicæno, non ſuppoſuiſſent, quod fuiſſet tantæ auctoritatis, ac ſi in generali Concilio Nicæno editus eſſet. Et quod de Iulio, qui Athanaſium reſtituit, in Concil. Rom. opponere poſſunt, ſatis à me factum eſt ſupra III. Quod vero in Concilio Chalced. oblatum fuit, vt dice- 6

rētur Papæ vniuerſales, hoc ante illud Concilium non obtinuiſſe, ſatis ex Gregorio in dicta epiſtola apparet: tum quod nullus ante Gregorium, nec ipſe etiam Gregorius, illud nomen vſ-
7 quam vſurpauit. Quantum autem attinet ad ea quæ ei attributa ſunt per dictas Imperatorum ſanctiones, certe nouum ius conſtitui prima facie iudicare eſt facillimum, nec ante eorum Principum tempora hoc iure vſos Pontifices: alioquin fruſtra illæ conſtitutiones editæ eſſent: nec quiſquam, ſaltem vix credat, eas eſſe ad confirmationem iuris veteris potius, quam ad noui introductio-
8 nem. Quod ſi iuriſdictionem & claues reſpicias, quantæ quantæ ſunt, Eccleſiæ ſunt principaliter & eſſentialiter. Si
9 autem electionem ſpectes, certe per Eccleſiam exiſtere fatendum eſt. Multa enim ſunt circa electiones, quæ locum non habent in his, quæ poſſidemus iure naturali. Electio enim eſt ſpecies donationis, ita vt, ſi recte dicimus eum qui titulo donationis poſſidet per eum à quo accepit poſſidere: ſic & ele-

ctũ Põtificẽ hac dignitate per electores gaudere. Liuius lib. 1. *Populus Tullum Hoſtiliũ regnare iuſsit*. Sic Collegiũ Cardinaliũ Eccleſiam Romanã repræſentans, iubet Pontificem regnare. Adde quod in electionibus, is qui eligitur, certis legibus imperat: Ita vt, quemadmodum electoribus competit facultas eligendi, eiſdem & deponendi. Hoc in Vvenceſlao Imperatore, hoc in Conſtantino Pontifice, & multis aliis videre eſt. His ita conſtitutis, non eſt cur excandeſcat Valla in Richerium, quod dixerit Papam eſſe per, & propter, Eccleſiam. Illa vt facilius explicaret Richerius, comparatione oculi in homine vſus eſt, quem per hominem, & propter hominem, exiſtere aſſeruit. Nam quemadmodũ homo per oculum videt, ita Eccleſia per Pontificem Romanum ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem explicat. Et quemadmodum oculus per hominem mouetur, & facultate videndi vtitur, ita Põtifex per Eccleſiam. Reg. 1. cap. 8. *Rex bellabit bella noſtra*, inquit populus: ſic & Papa exercet iuriſdictionem, & poteſtatem

Eccleſiæ, pro Eccleſia. At quam bellũ ſyllogiſmum ſibi fingit Valla! Certe alter Menæchmus aues ſquamoſas, & piſces pennatos sõniat:& cum axioma Richerij reſpuat, tamen eodem axiomate, vt fortiſſimo, eum referire ſe iactat. Sed qua aue! Cum enim Deum prius reſpexiſſe ad populum, quam ad regem dicat, tamen negare non poteſt, Deum, quantum ad iuriſdictionem, reſpexiſſe ad regem, non ad populum, cui, non populo, iuriſdictionẽ commiſit. Quod factum in Pontifice, vt in rege, nec Valla, nec alii conuiciatores, probabunt. Deus enim voluit alio regimine, quam Regio, Eccleſiam gubernari: & non vni ſoli iuriſdictionem Eccleſiaſticam commiſit, ſed omnibus Apoſtolis, vt qui locum principem obtinet, ſcilicet Pontifex, non mera & abſoluta, poteſtate, ſed ſecundum regulas Eccleſiaſticas vnà cũ Eccleſiæ natiuo conſilio, imperaret. Sed cur Vallæ ſtomachum moueat, quod Richerius oculi comparatione vſus ſit, non capitis, cum Papa dicatur caput Eccleſiæ, non oculus? At cum Impera-

Digitized by Google

tor, qui Imperii caput eſt & Monarcha, à Patribus Concilii Conſtantinopolitani in Trullo, orbis terrarum oculus appellatus eſt, & oculum à Deo effectum Reipublicæ Chriſtianæ, an ſibi illatam iniuriam à Patribus conqueſtus eſt? Immo hoc conuenientiſſimum, cum ex Melchiade epiſt. 1. Epiſcopi ſint, Dei oculi.

V. Hæc eſt inter alias quæſtio nobiliſſima, de qua non bene conuenit inter Theologos & iuris Canonici Doctores, an Concilium ſit ſupra Papam, an Papa ſit ſupra Concilium? Sacroſancta Facultas Pariſienſis, totius Galliæ, immo totius orbis Chriſtiani ornamentum, cuius fidem & peritiam in his, quæ ad religionem pertinent, nemo eſt qui non ſuſpiciat, non admiretur, ſequuta auctoritatem Conciliorum Conſtantienſis, & Baſilienſis, priores partes tribuit ſynodis. Et miror huius Facultatis deſertores, qui profitentur nolle huius ſanctæ Facultatis decretis aduerſari: & tamen impudentiæ notant eos, qui di-

çunt eſſe veritatis fidei Catholicæ, Concilia eſſe ſupra Pontifices: cum illud abſolute, licet impudentiſſime, negent, in illis Conciliis ſit decretum. Sed & Pius II. qui Baſilienſi interfuit, neminem in illo Concilio aliud ſenſiſſe affirmat, & qui tenacius etiam Eugenium fouebãt, tantum cauſabantur, in Conſtantienſem canonem minime incidiſſe.
1 Primum, dico Papam eſſe filiũ Eccleſiæ, c. quorum, 68. diſt. c. qui abſtulerit, 12. quæſt. 2. Filius autem tenetur obſeruare legem matris ſuæ, Prouerb. 1. Igitur aut tanquam mater filio, aut tanquam ea, quæ legem dat, ſuperior eſt Eccleſia.
2 Secundo, ipſos Anacletum, & Damaſum, teſtes adduco, hic in epiſtol. ad Epiſcopos Orientales in Concilium congregatos, quod Eccleſiam repræſentabat, minorem ſe fatetur Eccleſia: quæ verba excerpta ſunt ex Anacleti epiſtola de ordinatione Archiepiſcoporum. Tertio, non eſt veriſimile, quemquam ita ſuum vicarium inſtituiſſe, vt ſponſam ſuam illi ſubiiciat. Quarto Eccleſia habet poteſtatem im-

mediate à Deo, ita vt omnia eius mem-
bra illi, vt Chriſto Ieſu, obedire tenean-
tur. Quinto, Papa iuriſdictioni Cõcilii 3
ſubiicitur, ab eoque poteſt Pontifica-
catu priuari. Si enim Eccleſiæ Roma-
næ particularis, qua ſe minorem fatetur
Nicolaus, cum epiſt. ad Michael. Im-
perat. ſe dicit vicarium ſedis Apoſtoli-
cæ, iuriſdictioni, Romani Pontifices
ſubiiciuntur, ita vt eos aliquando abdi-
caſſe legamus, certe multo magis Con-
cilii generalis, cuius & Eccleſia Roma-
na pars eſt. Sed hanc iuriſdictionem
Concilii in Papam, in caſu tantum hæ-
reſis concedit Valla pag. 144. & non 4
propter alià crimina. Verum quam ma-
le, & præter ſcripturam, canones, Scho-
larum doctrinam, vſum Eccleſiæ, Iuriſ-
conſultorum diffinitiones, ſanctiones
Principum. Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſ-
rael, qui paſcebant ſemetipſos: lac comede-
batis, & lanis operiebamini, & quod craſſum
erat occidebatis, gregem autem meum non
paſcebatis. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce
ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meũ
de manu eorũ, & ceſſare faciam eos, vt vltra
non paſcant gregem.* Matth. 5. *Vos eſtis ſal*

terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Hoc autem Chriſtus omnibus Apoſtolis dixit, & Petro. Hieronymus non ſolum de quibuſlibet Epiſcopis, ſed de iis, qui tenent locum Petri & Pauli, Pontificibus, ſcilicet, Romanis, interpretatur ad Heliodorum: qui locus canoniſatus eſt. c. non omnes. 2. quæſt. 7. *Non eſt facile,* inquit, *ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Chriſto regnantium. Infatuatum ſal ad nihilum prodeſt, niſi vt proiiciatur foras, & à porcis conculcetur.* Glos. *Infatuatum ſal, id eſt, ſtulti Prælati, inſipidi in prædicando, fatui in delinquendo.* Glos. in c. nemo, 9. quæſt. 3. *Cum Papa peccat, poteſt eius peccatum etiam Eccleſiæ denunciari, ſecundũ admonitionẽ Euãgelii.* Matthei, 18. *Dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Luc. 16. Villico qui omnem ſubſtantiam Domini ſui adminiſtrabat, cum diffamatus fuiſſet apud dominum, quod omnia bona ipſius diſſipaſſet, *Redde,* inquit, *rationẽ villicationis tuæ: Iam enim non poteris*

villicare. Male igitur Valla, iure diuino, ob alia crimina, quam propter hæreſim, Papam à Concilio non poſſe deponi. In Conſtantienſi ſynodo Ioannes. XXIII. accuſatus fuit de ſimonia, inceſtu, veneficio, adulterio, & multis alijs criminibus. Et certe de his fruſtra accuſatus fuiſſet in Concilio, ſi de his iudicare non potuiſſet. Et Ioannes non propter hæreſim, nec propter ſchiſma, condemnatus eſt, ſed propter notorium ſcandalum, vt patet ex ſententia aduerſus eum lata. Baſilienſe Concilium 26. ſeſſ. *Notum ſit quod ſacra generalia Concilia iuriſdictione ſuper Papam vti poſſunt, cum clamoroſa inſinuatione, vel alias ipſe, vt ſcandaliſator Eccleſiæ, ſacro Concilio defertur.* Decretum horum Cōciliorum eſt, Papam ſubeſſe Concilio, in his quæ ſunt ad reformationem Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris. At quid hoc non complectitur? Nec de hæreſi ſola intelligi poteſt, cum hæreticus ſit extra Eccleſiam, nec poteſt dici reformatio aduerſus eum, qui non eſt in Eccleſia: Sed & pronunciant diſtinctim ſynodi, de

hæreſi, de ſchiſmate, de reformatione Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris.
6 Hanc autem eſſe doctrinam Scholæ Pariſienſis certiſſimum eſt, quæ ſemper decretis Conſtantienſis Concilii & Baſilienſis adhęſit: quamuis ad Gerſonem, Almainum, & quoſdam Pariſiẽſes tantum, referat Valla. Sed & Scholæ Colonienſis, in libello quem edidit tempore Concilii Baſilienſis, aduerſus eos, qui ſubiectum generali Concilio Romanum Pontificem, & ſupremi iudicii tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur: de quo extat epiſtola Pij II. ad Rectorem & Vniuerſitatem ſtudii Colonienſis.
7 Quantum ad vſum Eccleſiæ, Sixtus accuſatus ſtupri cum Chryſogonide conſecrata, cauſam dixit: Leo III. Paſchalis, & Leo IV. rei facti ob alia crimina, præter hæreſim, ſeſe purgauerunt: & Dioſcorus, licet in fide non peccaſſet, ab Eccleſia Romana condemnatus eſt. c. ſane, 24. quæſt. 2.
8 Iuriſconſultorũ autem eam eſſe opinionẽ patet ex. Glos. c. ſi Papa, Diſt. 40. *Certe credo quod ſi notoriũ eſt crimẽ eius quandocũ-*

que, & inde ſcandaliſatur Eccleſia, & incorrigibilis ſit, quod inde poſsit accuſari. Nã contumacia dicitur hæreſis. quemadmodũ Iuriſcõſulti de illa Gloſ. digladiẽtur Petrus de Mõte in tractatu de Monarchia Cõciliorum, cum de ſuperioritate Papę loquitur: *Hæc falſa opinio pullulauit ex illa maledicta Gloſſa, quæ eſt 40. diſtinct. can. ſi* Papa*, quæ tamen nihil dicit de pœna depoſitionis, ſed ſolum dicit, quod* Papa *poteſt de alio crimine accuſari, quam de hæreſi. Notat N. Chalinot,* Doctor *Pictanienſis, illam Gloſſam, etſi non dicant eſſe veram de* Ancharano*,* Petrus de Palude*, &* Archidiaconus *Florentinus: ſed aduerte, quicquid* Petrus de Monte*, accutiſſimo zelo hic excitatus dixerit, vſu illa ſingularis, communiter, & per omnes quaſi, cõprobatur, vt dicit* Panormit*. in c. ſignificaſti, Extr. de elect. & ibi vide Landrianum in ſuis additionibus vberime, de materia Cõciliorum generalium. Item* Panormit*. in capit. propoſuit, De conceſſ. præb. & in diſputatione ſua, Quidam Epiſcopus, & quidam Rector, in fine ſecundi dubij, ſubiungens, quod totus mundus illam Gloſſam approbat. Illam ſequitur Ludouicus Rom. conſil.*

Digitized by Google

123. *& Bald. in c. olim, De reſcriptis. Et illa Gloſſa eſt hodie canoniſata, per ſacrum Concilium Conſtantienſe, & ideo de ea haeſitare, & proteruum, & ſacrilegum eſt.* Sed non aduertunt illi, qui hanc gloſſam falſam eſſe putãt, quod ait Glos. in c. nemo, 9. qu. 3. *Cum Papa peccat, poteſt eius peccatum etiam* Eccleſiæ *denũtiari, ſecundum admonitionem* Euangelij. *Hoc determinaui* 40. *diſt. can. ſi* P*apa*: Tantum abeſt vt ſuam non agnoſcat. Pragnatica autem ſan-
6 ctione à Carolo VII. hæc decreta Baſilienſis Concilii recepta ſunt, cum conſenſu omnium Ordinum Galliæ, Eccleſiæ Gallicanæ, & Vniuerſitatum. Quod ſi dicat Valla hanc ſanctionem reuocatam à Leone x. in Bulla Concordatorum, Reſpondeo; decreta quæ ſunt fidei non eſſe reuocata. Sed & Scholam Pariſienſem appellaſſe à Leone x. ad futurum Concilium: quæ appellatio, quãdiu aut Scholam male appellaſſe, aut non potuiſſe apellare, iudicatum ſit, impedit, quo minus poſſimus, Pragmaticę ſanctionis auctoritatem in dubium reuocare. Valeat igitur Valla cum ſua

pere-

peregrina opinione, quam & ſacræ ſcripturæ, & auctoritatibus Conciliorum, Theologorum, Iuriſconſultorum, Eccleſię gallicanæ, & omnium Scholarum vult præferre. Sed hoc nõ nouum, cum ille ſolus inter omnes Doctores Facultatis Sorbonicæ, impios Encomiaſtas Ignatii non condemnauerit, vt maluerit eſſe ſolus, aut nullus, quã cum cõdoctoribus bene ſentire. Conſtat ergo Concilium non propter hæreſim duntaxat, nec ad Schiſma tollendum, ſed propter ſcandalum, ob notoria crimina, iuriſdictionem omnimodam habere in Papã. Deinde certum eſt in ſchiſmate alicui contendentium vere Põtificatum competere. Illud etiam fatendum eſt, Eccleſiam ſpiritu Dei afflatam, nemini iniuriam facere velle, vel ius ſuum alicui detrahere. Hoc enim eſſet iuſtitię contrarium. Atqui, ſi ad ſchiſma tollendum, vtrumque ſynodus abdicat, neceſſe eſt dicere, & verum Pontificem. At dices forte, hoc ad ſchiſma tollẽdum. Verum Apoſtolus prohibet facere mala, vt inde eueniant bona, Rom. 3. Quis autem di-

Digitized by Google

cet, hoc non eſſe de genere malorum, a-
liquem iure ſuo priuare? Quin potius
vt in iudiciis ius ſuum cuique tribuen-
dum erat. Addam: cum Piſis Alexan-
der fuit electus in Papam, ſchiſma ſchiſ-
mati additum fuit: nam nec Benedictus,
nec Gregorius, voluerunt ſententiæ
Concilii acquieſcere. An ideo Mar-
tinus tollendus erat, quia Benedictus
noluit decreto Concilii Conſtantienſis
obtemperare? Nam ſi illud generale eſt,
vt ad tollendum ſchiſma, vterque de-
ponendus ſit, quod non ſublatum fuit
ſchiſma per Martini electionem, vide-
bantur tollendi Martinus & Benedi-
ctus. Minime. Sed dicendum eſt, omni-
modam poteſtatem Concilium habere
in Papam, qui, vt per Eccleſiam exiſtit,
ita & per Eccleſiam, nouis & grauibus
cauſis emergentibus, poteſt exui Ponti-
10 ficatu. Poſtremo appellationes à Papa
ad Concilium arguunt ſuperioritatem
Concilii. Notæ ſũt appellationes ad fu-
11 turũ Conciliũ Ioannis Teutonici, pri-
mi Decreti Gloſatoris, à Clemente IV.
Michaelis de Cezano, Generalis Ordi-
nis Minorũ à Ioanne XXII. Sigiſmundi,

Digitized by Google

Ducis Auſtriæ, & Gregorii Heyburgi, Achiepiſcopi, Moguntini, Friderici, Comitis Palatini ad Rhenum, & Friderici Marchionis Brandeburgenſis à Pio. II. Platinæ à Paulo II. Sed & Scholæ Pariſienſis, à Bonifacio. VIII. Benedicto XI. Pio II. Leone. X. Notantur à Probo in Additionibus ad gloſam Pragmaticæ ſanctionis duæ appellationes à Papa ad Concilium: Prima, Iacobi du-Breuil, electi Archiepiſcopi Bituticenſis aduerſus Cardinalem de Tournon: Altera Vniuerſitatis Pariſiẽſis, de publicatione Concordatorum, quæ eſt à Leone. X. Quæ à Coſma Guymier, Senatus Pariſienſis Præſide doctiſſimo, probantur in caſibus, in quibus Papa decretis Concilii obedire tenetur, vt quando agitur de reformatione Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris. Quid igitur dicent noſtri Antipolitici? Aut certe neceſſe eſt has apellationes approbent, aut Scholæ Pariſienſis deſertores clueant. Immo & Regis, & Patriæ, & Eccleſiæ Gallicanæ. Nota eſt appellatio Phillippi IV. à Bonifacio VIII. cum omnium

Digitized by Google

Ordinum Galliæ, & totius Eccleſiæ Gallicanæ conſilio publicata in Eccleſia Pariſienſi: & Henrici magni à Gregorio XIV. in valuis Eccleſiæ diui Petri Romæ affixa, quas velim; an ſint legitimæ, reſpondeant. Sed an illas appellationes admittendas ex Patribus & decretis Conciliorum probare poſſim? Audiant igitur Auguſtinum epiſt. ad
12 Gloriũ & cæteros Donatiſtas: *Ecce putamus illos Epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe. Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, vbi etiam, cum ipſis iudicibus, cauſa poſſet agitari, vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur*. Concilium Cõſtantienſe in articulo, quem nec noſtri noui Conciliorum cenſores, qui & pro maximo conuicio obiiciunt Richerio, quod ſit eorum acerrimus propugnator, in ſententia, inquam, contra Ioannem Hus, ſeſſ. 15. *Cum appellationem ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, tãquam ad ſummum iudicem, omiſſis Eccleſiaſticis mediis, interpoſuerit*: Cum à Papa appellaſſet. Sed quod negant, id de fide eſſe,

Concilium eſſe ſupra Papam, nugantur. Nam quî poteſt fieri, vt hoc ſit decretum in Concilio, & tamen non ſit fidei? Hoc nouum, & inauditum, ante Concilium Baſilienſe, in quo Eugeniani, vt auctoritati decretorũ Concilii detraherent, has quidem eſſe veritates fatebantur, ſed non eſſe veritates fidei. Et certe de hoc nemini dubitare licet, niſi & fidem Conciliorum, ex doctrina Caluiniana, in dubium reuocet. An alio, quæſo, ſpiritu ducti Patres Conſtantienſes & Baſilienſes, quam Nicæni, & Epheſini? Quod ſi fidem ſynodi Conſtãtienſis impugnare liceat, cur non & Tridentini? nam quæ obſeruatu neceſſaria eſſe volunt ad Concilii validitatem, ea omnia in Conſtantienſi obſeruata ſunt: niſi dicas maioris auctoritatis eſſe Concilium Conſtantienſe, cui & duo Pontifices interfuerunt, & totus Cardinalium ordo, & duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, & Antiochenus: cui & Imperator aderat, & omnium Principum Chriſtiani nominis Legati: quodque confirmatum eſt à

Martino, & huius confirmationis acta publica confecta, vt patet seſſ. 45. & denuo Bulla, de conſenſu Concilii, edita ad confirmationem. At nihil eorum in Concilio Tridentino: cuius & nulla extat confirmatio, niſi ex relatione vnius Cardinalis, cui nec ipſe Pontifex ſubſcripſit, nec Bullas emiſit: & cui non interfuerūt Legati Regis Chriſtianiſſimi, quorum proteſtatio extat contra Concilium, cuius vix ſeſſionem reperias, in qua quædam non ſint decreta, vel contra auctoritatem Regiam, vel libertates Eccleſiæ Gallicanæ. quæ ſigillatim notata ſunt in actis pſeudoordinū Pariſienſium anni 1593. An igitur reperias hominem Gallici nominis, qui affirmet, totius Eccleſiæ Gallicanæ ſalutē, ex illius Cōcilii publicatione pēdere? At dices, illud Concilium, omnes hæreſes huius ſeculi dānat: Reſpōdetur, nihil in Cōcilio Tridētino circa fidē decretum eſſe, quin firmiter ante Conciliū crediderimus, ita vt potius Cōciliū declarauerit nos recte hactenus credidiſſe, quā aliquid noui ſtatuerit. Dico ergo ſa-

Digitized by Google

crũ Conſtentienſe Concilium non eſſe minoris roboris, quam Nicænũ, aut Epheſinum, aut aliud veterum Conciliorum. Eadem enim eſt Eccleſia Chriſti, idem Chriſti corpus, eadem ſponſa Chriſti, idem Spiritus ſanctus Deus, qui illud corpus effecit in animam viuentem in æternum, ſecundum Dei promiſſionem. At cur non idem dicemus de Baſilieſi Concilio? quod incæptum eſt ſecundum decreta duorum Conciliorum, Conſtantienſis, & Piſani, in vim Bullarum Martini, & Eugenii, Legatis ſedis Apoſtolicæ præſidibus, præſentia Imperatoris honoratum, perfectum ſub Cardinale Arelatenſi, cuius corpus ab eius obitu miraculis claruit: Cuius Concilii acta præcipua ab Eugenio per Bullas confirmata ſunt, vt patet ſeſſ. 16. inter quæ & illud erat, Papam obedire teneri, in his quæ ſunt circa reformationem Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris, nec poſſe Conciliũ diſſoluere, nec alio trãsferre, ſine ipſius conſenſu: In quo, vel ipſo Iuliano Carinale, ſedis Apoſtolicæ Legato, Con-

cilii præſide, nihil actum eſt, quam ſecundum diſpoſitionem iuris communis, & formam primi Concilii Piſani, & Conſtantienſis, & Bullas Martini. v. & cum omnium qui aderant conſenſu. Sed, vt vnde digreſſi ſumus eo redeamus, de hac controuerſia, an ſcilicet ſit fidei, Concilium eſſe ſupra Papam, hęc

13 Pius II. lib I. de geſtis Baſil. Concil. *Videndum eſt*, inquit, *an hoc ſit fidei Catholicæ, credere Concilium eſſe ſupra Papam. Et primum quærendum eſt, quid ſit fides ipſa vt ſic facilius quæ ad eam pertinent referamus. Fides, vt Theologi definiunt, eſt firma adhæſio rebus creditis, ex auctoritate dicentis. Si igitur credimus Romanum* Pontificem *ſubeſſe Concilio, certe aliqua auctoritas ad id credendum nos impellit.* Sed *non quærimus, vtrum ex fide tantum, ſed vtrum ex fide Catholica ſit. Rurſus ergo quærendum, quæ ſit fides Catholica. Eſtque Catholica verbum Græcum, quod Latine Vniuerſalem ſignificat. Catholica igitur fides, id eſt, Vniuerſalis fides: nec ideo dicitur Vniuerſalis, quia vniuerſi eam habeant, ſed quia vniuerſi eam habere tenentur. Nec enim incarnatum Dei*

omnes credunt, credere tamen omnibus eſt debitum. Nec ideo deſinit noſtra fides eſſe Catholica, licet quamplurimi aduerſentur. Credere igitur Papam ſubeſſe Concilio, non minus erit fidei Catholicæ, quamuis aliqui aliter ſentiant. Id enim omnes credere adſtringimur, quod ex codice Euangelico ſumitur. Namque non ſolum quæ in Symbolo ſunt contenta nos ligant, ſed omnia que ſacris continẽtur ſcripturis, ex quibus nec vnum apicem negare permittitur. At ea quæ dicimus de ſuperioritate Concilii generalis, ex dictis Chriſti Ieſu Redemptoris noſtri, atque ex epiſtolis magiſtri gentium colliguntur. Ergo ad credendum omnes adſtringunt. Quod autem iſta ex Euangelio recipiantur, teſtimonio eſt Conſtantienſe Concilium, quod auctoritatem ſuam, ſuper illis verbis, Dic Eccleſiæ: & , Vbi duo, vel tres: & , Quæcumque ligaueritis, & huiuſmodi, fundatam vult. Ceterum ſi ab Euangelio hæc deſcendit veritas, vtique Catholicæ fidei hæc veritas eſt. Plus etiam, ſi licet, dico: Omnia equidem, quæ generale Concilium definit, debemus credere: idque pulcherrime Auguſtinus videtur adſtruere: Ait enim, quod Euãgelio non crederet, niſi auctoritas Eccleſiæ ſe commo-

ueret. Eccleſiamque pro Concilio nominauit. Nec enim Eccleſia vbique diffuſa ſed in Concilio congregata, de receptione Euangeliorum ſtatuit. Eoque fit, vt quemadmodum nos conſtrinxit ad credulitatem eorum Concilium, ſic & alia nobis credenda offerre poßit. Vnde Martinus, cum adhuc Conſtantiæ degeret, ſacro approbante Concilio, literas ſub plumbea Bulla emiſit, quæ articulos enumerat, ſuper quibus interrogari deberent, qui in ſuſpicionem hæreſis incidiſſent: inter quos etiam illum ponit, an credat ſacrum generale Concilium habere poteſtatem immediate à Deo, eiuſque ordinationes ab omnibus Chriſti fidelibus eße recipiendas: quod ſi negaret, hæreticus haberetur. Quare cum magna & ſancta Conſtantienſis ſynodus veritatem illam prædicarit de ſuperioritate Cōcilíj generalis, quid obſtat, quominus hāc eſſe veritatem fidei Catholicæ profiteamur? Eccleſia quippe Catholica Conſtantiæ congregata illam fidem recepit, id eſt, ſic credidit, ex auctoritate dicentis, ſcilicet, Chriſti, & Apoſtolorum. Ad hoc etiam faciunt perpulchre verba Concilij Chalcedonenſis, in hunc modū: An licet

illum qui condemnatus eſt ab omni Concilio *Epiſcoporum nominare? Definitio*, Placet *omnibus: Hæc eſt fides* Patrum, *qui præter iſta ſapit, hæreticus eſt.* Et *iterum, Regula eſt, vt ab electa ſynodo non liceat appellare. Hæc eſt fides* Patrum: *qui præter hæc ſapit hæreticus eſt.* En *ampliſsimum magnæ & ſanctæ ſynodi teſtimonium: hæreticum dicit qui aliter ſapiat, quam* Concilium *ſapit.* At *hæreticus nemo eſt, niſi qui* Catholicam *fidem reſpuit: Ergo* Catholica *fides fuit credere, quod non liceat ab electa ſynodo appellare. Verum quo pacto id erat fidei* Catholicæ? *Nempe quia ſancta ſynodus Euangelica, & ſacra ſcripta reuoluens, eandem concluſionem ex verbis* Chriſti, *aliorumque ſanctorum* Patrum *recepit.* Et *ſicut illud* Chalcedonenſis *ſynodus ex ſacra ſcriptura reſumpſit, ſic hoc, quod diſputamus,* Conſtantienſe *Concilium excerpſit.* Et *ſicut illud eſt fidei catholicæ, ſic etiam iſtud: & præter vtrumque ſentiens hæreticus eſt. Delirare illi præterea videntur qui has veritates faſsi, veritates fidei*

non fatentur. Namque ſi veritates ſunt, vnde obſecro veritates ſunt? Nempe non ex Grammatico, minuſque aut ex logico, & aſtronomo, & Phyſico quoque hæc aliena ſunt. Nec alius mihi quam Theologus veritatem fatebitur iſtam, cui neceſsitatem ſacra ſcriptura imponit: qui nec Chriſto incredulus, nec Apoſtolo rebellis erit. Eſt igitur ex fide Catholica hæc veritas, eamque omnes amplecti debent, cui, qui reſiſtit pertinaciter, hæreticus cẽſendus eſt. Nec durum alicui videatur, hæreticum dici, qui generalis Concilii auctoritati derogat: quæ tam multis teſtimoniis, auctoritatibuſque firmatur, cum etiam hæreticus habeatur, qui Eccleſiæ Romanæ Primatum aufert: qui vnus eſt ex Græcorum damnatis erroribus. Refert enim noſter Panormitanus Hieronymum dicentem, quia qui aliter ſcripturam intelligit, quam Spiritus ſancti ſenſus efflagitat, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt. Ex quo ſequitur, vt qui ex verbis Chriſti, cum ait Petro, Dic Eccleſiæ, non intelligit per Eccleſiam generale Cõcilium, aliter intelligit, quam Spiritus ſancti ſenſus expoſcit, ſicque poſſit hæreticus vocari. Quod autem Spiritus ſancti alius ſit ſen-

ſus, quam ille putet, Conſtanſienſis declarat ſynodus, quæ per Spiritum ſanctum directa; verba illa, Dic Eccleſiæ, de generali Concilio eſt interpretata. Hactenus Syluius. Sed illam ſuperioritatem Concilii ampliſſimis Pontificum teſtimoniis probabo, vt effugere non poſſint noſtri exoticarum doctrinarum aſſeclę, turpiſſimę aſſentationis notam, qui velint plus auctoritatis Pontificibus tribuere, quam ipſi ſibi. Vulgares ſunt Canones, c. ſicut, c. ſãcta, 15. diſt. c. ſancta, 16. diſtinct. c. 1. c. 2. c. violatores, c. ſunt quidam, c. contra ſtatuta, c. prima, c. hæc conſona, 25. quæſt. 1. quibus Pontifices ſubeſſe Canonibus Conciliorum probatur. Quod vero diſtingunt, ſubiici quidem in his, quæ sũt fidei, in cæteris autem eſſe ſupra ius Canonum, ipſo iure Canonum confutantur. In dicto c. ſicut, ait Pontifex, ſe quatuor Concilia generalia venerari, vt quatuor Euangelia. In d. c. prima, 16. diſt. ait, Nicænos Patres condidiſſe viginti Canones. Eos igitur Canones venerari, vt ſacra Chriſti Euangelia, nos iubet. At nemo ſanæ mentis dixerit, ne 14

quidem noſtri Cēſores, illos viginti Canones aliquid de fide ſtatuere: Immo omnes editi ſunt ad diſciplinam Eccleſiaſticam firmandam. Aut igitur ſtatuendum, Pontifices, non ſolum Canonibus, qui ſunt editi de fide, ſed iis etiam, qui ſunt circa diſciplinam Eccleſiaſticam, obnoxios eſſe, aut eos in maximum errorem lapſos, qui illos Canones, vt ſacra Euangelia, ſe venerari profitentur, & idem ſentire nos iubent. Profectò idem eſt de cæteris ſynodis iudicium, in quibus vix duos de fide Canones reperias: cęteri autem, vel ad ſtatum Eccleſiæ, vel regimen, vel diſciplinam, ſpectant. Quę autem dicta ſunt à multis Ppntificibus, de Papæ ſuperioritate, examinanda videntur ad hanc iuris regulam, qua cauetur, ne iudex ſedeat in ſua cauſa, & ne teſtis in ſua cauſa ſit idoneus. Adde quod Ambroſius, & Auguſtinus, nos docent, quæ nec ſcripturis, nec Conciliis Patrum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ roborantur, eſſe indifferenter obſeruanda c. illa autem, c.

Digitized by Google

omnia, 12. diſt. Et hoc veriſimiliter eodem ſpiritu dixere, quo ſub iſtis temporibus, nonnulla Hieronymus epiſt. 85. vol. 2. quæ multo vehementius exagitat epiſt. 17. & lib. 2. aduerſus Iouinianum, circa finem. Certe ſi in noſtra tempora incidiſſet, non cenſura Senonenſis prouinciæ, ſed Romanæ ſedis notaretur.

VI. QVÆ DOMVS CLAVES LIGANDI ET SOLVENDI ACCEPIT A DOMINO. Quando Dominus hominem formauit ex limo terræ, inſpirauit in faciem eius, & factus eſt homo in animam viuentem. Licet dictum ſit, inſpiraſſe in faciem, nihilominus totum corpus viuificum fuit, & anima totum corpus occupauit. Ita illa inſpiratio non tantum propter faciem facta eſt, ſed propter totum corpus: ſtatim enim dixit, & factus eſt homo in animam viuentem. Similiter quando Dominus loquutus eſt ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claues regni cœlorum, &*

quodcumque ligaueris in terris, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris in terris, erit ſolutum & in cœlis. Statim ſubjunxit: *Et præcepit diſcipulis ne dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus*: vt oſtenderet, non de ſolo Petro hæc intelligenda, ſed de omnibus Apoſtolis. Chriſtus enim omnes Apoſtolos interrogabat, non ſolum Petrum. Et *Vos quem me eſſe dicitis?* Et ita loquutus eſt ad Petrum, vt pro cæteris promitteret; in perſona Petri, qui pro ſe, & cæteris, illam fidem profeſſus eſſet. Sed qui Primatum & Monarchiam abſolutam tribuere volunt ſummo Pontifici, quoniam hunc textum, velut arcem ſuæ opinionis conſtituunt, operæpretium eſt in eo diutius immorari, & probare illos maximo meridie cæcutire. Primum dico totum hunc Matthæi locum, vel de ſolo Petro, vel de omnibus Apoſtolis, qui totam Eccleſiam tunc repræſentabant, eſſe interpretandum. Non enim minus dictum eſt Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum, &, Quodcumque ſolueris, quam, Tu es Petrus, & ſuper hanc

hanc petram ædificabo Eccleſiam meã; Ergo ſi Petra illi ſoli conuenit, etiam cætera illi ſoli conuenire neceſſe eſt. At nemo ſanus dixerit, Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. ſoli Petro conuenire, non omnibus Apoſtolis: nam hoc & ſcripturæ, & toti antiquitati repugnat: Igitur nec cætera; ſcilicet, Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã, &c. Et eſt fortiſſimũ & inuictiſſimũ Auguſtini argumentũ, c. quodcumque, 24. quæſt. 1. Cũ enim vult probare, hæc verba nõ dicta ſolj Petro, ſed Eccleſię, *Si hoc*, inquit, *Petro tantũ dictũ eſt non hoc facit Eccleſia: At Eccleſia id facit*: Minorẽ probat: *Cũ excõmunicat*, inquit, *Eccleſia, in cœlo ligatur excõmunicatus*. quę Auguſtini ſentẽtiã, licet apertiſſima ſit, tamẽ Valla nobis vult perſuadere Auguſtinũ dixiſſe, datas eſſe Claues toti Eccleſiæ, id eſt, propter Eccleſiã. Eſt ne hoc Canonẽ explicare, an deſtruere? Ita quoque infeliciter interpretatur c. loquitur, ead. cauſ. & quæſt. qui eſt Cypriani. nam cũ deberet potius admonuiſſe lectorem, hunc locum Cypriani veriſimiliter (ſed an vere) deprauatum

tùm à collectoribus Canonum; maltiē
cum locum, vel vt eſt excuſus, ſua inep-
tiſſima interpretatione deturpare. Hęc
enim verba, quæ inſeruntur Canoni, *Su-
per vnum ædificat Eccleſiam*, in veteri-
bus excuſis anni 1525. & 540. non repe-
riuntur, & addita ſunt in poſterioribus
editionibus 1549. & 564.. 568. & 603.
vt facile ſit coniicere errorem, & colle-
ctores Canonum ſequutos hæc Cypria-
no impoſuiſſe. Sed ex c. vtut eſt, nec
efficiet quod vult: nec enim ex Cypria-
no probabit, Eccleſiam eſſe, nõ id quod
Claues habet, ſed id, ad quod poteſtas &
vſus Clauium referuntur: Cum contra,
Cyprianus Eccleſiam eſſe id, quod Cla-
ues habet, probet per verba Ioannis;
*Sicut me miſit viuens Pater, ita & ego mitto
vos: Accipite Spiritũ ſanctum: Quorũ pecca-
ta ſolueritis, ſoluta erũt, & quorũ retinueritis,
retenta erũt.* Et, vt illud demõſtretur faci-
lius, certũ eſt, Cyprianũ hoc toto loco
voluiſſe probare, vnitatẽ Eccleſię, & da-
tas eſſe Claues, non vni ſoli, ſed vnitati:
Deinde vnicũ eſſe ſacerdotiũ in tota Ec-
cleſia, in multos diuiſũ, non vnicũ ſacer-

dotē: Ita vt, cũ Petrus nõ fuerit ſolus, & vnicus ſacerdos, ſed & cæteri Apoſtoli & Apoſtolis omnibus, vt ſacerdotibus, idem ius fuerit in Clauibus, ac Petro; neceſſarium eſt, datas Claues eſſe Eccleſiæ & ſacerdotio, non vni ſoli. At quis tam ineptus, qui dicat, quod vult Durandus, hæc verba Cypriani, Lumen vnum, ex quo multi radii micant, radix vna, ex qua multi rami emittuntur, vnus fons, ex quo multi riuuli defluunt, de Petro dicta, non de Eccleſia? Nam ſi hoc verum eſſet, certe Paulus, vt radius ex Petro, lumine, ramus ex Petro, radice, riuulus ex Petro, fõte, procederet. Quod eſſet contra doctrinam Pauli ad Galatas. 1. & 2. & Cypriani, qui ait, omnes Apoſtolos præditos fuiſſe æquali dignitate & poteſtate. Euſebius lib. 6. de demonſt. Euangelica, *Eccleſia quæ antea erat oliua agreſtis, plantata fuit à Domino; qui eam poſt inſeruit in Apoſtolicis bonæ oliuæ radicibus*. Sed quid ſibi vult Valla? Certe ſibi ipſi ſtimulus eſt, & veritas ex eius ore, etiam inuito, emergit. Ait enim Cyprianum docere, Chriſtum

poſt reſurrectionem, Claues omnibus Apoſtolis contuliſſe. At quid aliud eſt; quam dediſſe? Si autem dedit, certè Eccleſia, ex dono Christi, Claues habet: ergo Eccleſia eſt id, quod Claues habet, & cui Claues conueniunt. Sed quam inſulſe, quam inepte, cum ait, Vult ergo Cyprianus claues vnitati deditas, id eſt, in finem vnitatis: ac ſi diceret, Claues Eccleſiæ datas, id eſt, in finem Eccleſiæ. At quis tam Barbarus potitius vnquam ita abſurde loquutus eſt? quam melius noſter Cyprianus, Claues vni deditas, vt vnitatem Chriſtus oſtenderet. Et ſacerdotium vnum eſſe in Eccleſia, cuius pars à ſingulis Epiſcopis in ſolidum tenetur. In ſolidum dicit, quod quilibet iure diuino, & non aliunde, Clauium poteſtatem ſibi vendicat, & quod in vno quoque Epiſcoporum Clauiũ poteſtas ſufficienter reſideat: quod probatur Canonibus Conciliorum, qui prohibent excommunicatum ab vno Epiſcopo, ab alio recipi. Cyprianum autem & Auguſtinum valde illuſtrat Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum. Super

Petrũ fundatur Eccleſia, licet id ipſum in alio loco, ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo, arrigite aures Politicomaſtigæ, *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Et rurſum Hedibiæ quæſt. 8. *Apoſtoli petræ vocabulum acceperunt.* Origenes tract. 1. in Matth. *Epiſcopi vtuntur eo dicto, ſicut Petrus, & claues à Seruatore receperunt.* Baſilius de vita ſolit. cap. 23. *Hoc ab ipſo Chriſto docemur, qui Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit, Petre, inquit, amas me plus his? paſce oues meas, & conſequenter omnibus paſtoribus eandem poteſtatem tribuit, cuius ſignum eſt, quod omnes ex æquo & ligant, & abſoluunt.* Gloſſ. Ordinaria, quæ, vt dicit Schola, allegatur auctoritatiuè, in illud Matthæi *Habent quidem eãdem poteſtatem alii Apoſtoli, quibus poſt reſurrectionem ait, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittentur, & quorũ retinueritis, erũt retenta. Habet & Eccleſia in Epiſcopis, & preſbyteris: & ideo Petrus illas ſpecialiter accipit, vt omnes in-*

telligant, quia quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum poterit ingredi. Gratianus 24. quæſt. 1. §. ſin autem, *Cum omnibus Diſcipulis parem ligandi, atque ſoluendi poteſtatem Dominus daret, Petro pro omnibus, & præ omnibus, claues regni cælorum ſe daturum promiſit. Quicumque ergo ab vnitate* Eccleſiæ, *quæ per* Petrum *intelligitur, &c.* Atque, vt breuiter dicam, omnis antiquitas ita ſenſit. Sed an illud ex ſcriptura probare poſſim, & nomen petræ ad omnes Apoſtolos pertinere? Au-
4 diant Ioannem Apocal. 21. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* Veniant igitur in medium quotquot ſunt, qui nomen petræ ſoli Petro conuenire ita pertinaciter affirmant, & ex eo Monarchiam abſolutam, & infallibilitatem colligunt, & Ioanni reſpondeant. Gloſ. *Fundamenta accipimus Apoſtolos, in quibus fundatur tota munitio Eccleſiæ: Pſal. 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Hæc de duodecim Apoſtolis dicta, tota teſtatur antiquitas.

Sed & ipſe Pontifex. c. fundamenta, Extr. de elect. & elect. poteſt. in 6. Paulus ad Epheſ. 2. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu.* Quid quod duodenarius numerus myſticus eſt in Eccleſia condenda? Tribus duodecim veterem Eccleſiam conſtituebant, totidem lapidibus rationale ſacerdotis ornatum, totidem lapidibus altare constructum, in fine ſeculi duodecim iudices iudicantes duodecim tribus Iſrael, ex earum qualibet duodecim millia ſignati, ciuitatis æternæ murus duodecies duodecim cubitos complectitur. Sed quis dicat vnquam Apoſtolos fundaſſe Eccleſiam ſuper Petrum? An vel noſtri Doctores illud affirmare auſint, cum æque Apoſtoli ad prædicandum miſſi ſint, & teſtetur Apoſtolus ædificatam ſuper lapidem Chriſtum, & 1. Pet. 2. ædificatam ſuper lapidem viuum Chriſtum, quem ſolum fundamētum eſſe Eccleſiæ vel ipſi dicunt? At-

qui, aiunt, Petrus dicitur petra, ſuper
quam ædificanda à Chriſto Eccleſia. Il-
6 lud verum eſt. Sed longe diuerſæ ſunt,
petra, quæ dicitur Chriſtus, & petra,
quæ dicitur Petrus. Chriſtus enim vera
7 eſt, & vnica, & ſola petra eſſentialis
Eccleſiæ: Petrus autem, & cæteri A-
8 poſtoli, petræ, ſeu fundamenta ſecun-
daria, & miniſterialia. Iſaiæ. 51. *Atten-
dite ad petram, vnde excisi eſtis.* De petra
Chriſto, non de petra Petro, intelligit.
Nec vllus poteſt probare ſolum Pe-
trum eſſe petram miniſterialem. *Mini-
ſtri enim,* inquit Paulus, *eſtis, cui credidi-
ſtis, & vnuſquiſque ſecundum quod Domi-
nus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit,
ſed Deus incrementum dedit.* Igitur totam
Eccleſiam ſuper unam aut alteram pe-
tram ex fundamentis miniſterialibus
fulcire, aut ædificare, hoc videtur ab
omni ratione alienum. Ex his patet,
quod licet ſolius Petri facta ſit mentio,
cui datæ ſunt Claues, & cui tributum
nomen petræ, id intelligendum eſſe, fi-
9 guratiue, ſignificatiue, & repræſentati-
ue, vt Doctores loquuntur, quatenus

Digitized by Google

repræſentabat Eccleſiam, vt ait Auguſtinus, Commentar. in Pſal. 108. & c. quodcumque, 24. quæſt. 1. *Petrus quando Claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit*. Et ſuper Ioannē, tractat vlt, *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam: quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus, idemque primus Apoſtolus: ſed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, & Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diuerſis tentationibus quatitur, & non cadit: quoniam fundata eſt ſuper petram, vnde & Petrus nomen accepit*. Et paulo poſt. *Quod eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem, Petrus in petra: qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia*. Et hoc eſt, quod Cyprianus ſæpiſſime inculcat, *Vnum eſſe ſacerdotium in Eccleſia*: & lib. 4. epiſt. 2. *Vna eſt Eccleſia per totum mundum in multa mem-*

bra diuiſa, *item Epiſcopatus vnus*, *Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*. Ex his perſpicuum euadit, Doctores noſtros præter ſcripturam, & doctrinam Patrum, hæc verba, *Claues*, *Petra*, *Soluere*, *Ligare*, *paſcere*, ad ſolum Petrum referre: & nihil aliud agere, quam frequenti repetitione, dudum exploſis cantilenis aures Chriſtianorum obtundere: qui, vt eſſe fidei, Pontificem eſſe caput Eccleſiæ profitentur, ita plane negant, ſolum Petrum miſſione ordinaria miſſum, cæteros Apoſtolos extra ordinem, vt ait Durandus pag. 61. & pag. 75. proprietatem & eſſentialitatem Clauium ſoli Petro competere, cæteris vero Apoſtolis miniſterialiter, vt ſuadet Pelletarius pag. 39. & Valla pag. 30. Quid igitur dicent? an auctoritatem Patrum, quos laudauimus nihili ducent? Quod autem inſtant, ſuper petram eſſe fundatam Eccleſiam, & Petrum paſtorem eſſe Eccleſiæ, vt etiam ex ſuo Breuiario probat Durandus, reſpõdeo, nullum Catholicum hoc vnquam negauiſſe: Deinde nullam Dialo-

ſticam docere, ex particulari affirmatiua, generalem negatiuam colligi, vt dicamus, hoc conuenit Petro, igitur non ceteris Apoſtolis: vt ſi quis diceret, Paulo Apoſtolatus gentiũ competit, ergo nullus Apoſtolorum potuit gentibus prædicare: nec etiam Petro ſedes Romana competere. Et hoc vel ex ſcripturis, vel ex Patrum monumentis, vel Conciliorum Canonibus, vel veteri Eccleſiæ conſuetudine probare, nequaquam autem ſuas opiniones, pro ipſiſſima veritate, obtrudere debebant.

VII. ERRARE NON POTEST. Superius dixit, *Eccleſiam tanto priuilegio à Chriſto Saluatore dotatam eſſe, vt ea errare non poſſit. Hoc ſolum* Deo *naturæ competere,* Eccleſiæ *priuilegio: neque hoc datum ſummis pontificibus, quorum nonnulli in hæreſes, & errores lapſi eſſe leguntur*. Contra multi inſurgunt, & affirmant ſoli Pontifici infallibilitatem competere, & hoc potiſſimum argumento, quod Petro Chriſtus dixerit, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuerſus confirma*

fratres tuos. Richerius quod infallibilita-
tem Eccleſiæ, non ſoli Pontifici, tri-
buendam cenſet, affirmat infallibilem
poteſtatem decernendi, aut condendi
Canones, eſſe penes Eccleſiam, aut ge-
nerale Concilium, illam repræſentans.
Turpiſſimè lacerant eum inimici: &
quanquam dicant eam eſſe ſententiam
Scholę Pariſienſis, tamen viperino mo-
re id faciunt, eam ſupprimere ſtuden-
tes, cui vitam, & honorem, acceptum
ferre debebant. Sed non mihi parum
laudis, ſi non huius Facultatis alum-
nus, eius tamen veſtigiis, vt communis
omnium matris, inhæream. De vtraque
igitur quæſtione nobis inſtituenda eſt
diſputatio: & cui infallibilitas compe-
tat, & cuius ſit cõdere Canones. Primũ
dico infallibilitatem ſoli Papę non com-
petere. Ratio infallibilis: Papæ poſſunt
I in errorem, & in hæreſim, incidere: Mar-
cellinus thura idolis adoleuit: Liberius
quod Arianis conſenſerit, à Chriſtianis
male audiuit: Innocentius 1. permiſit ſa-
crificiis gẽtilibus vti, ad ſoluendã Romę
obſidionẽ, Zoſimus lib. 5. Anaſtaſius II.

Neſtorianis fauit: Honorius vnicam in Chriſto volũtatẽ aſſeruit, & aliter prędicare vetuit, Cõcil. Conſtããinop. in Trullo, act. 13. Multi hæretici ſimoniaci, ante Concilium Lateranenſe ſub Nicolao II. c. in nomine Domini, Diſtinct. 23. & Gloſ. nominat Benedictum X. Sylueſtrum III. & Gregorium VI. & ante Concilium Lateranenſe ſub Iulio II. alios fuiſſe compertum eſt: Ioannes XXII. beatorum animas Deum videre negauit, vt & ipſe fatetur Durandus: Inter articulos contra Ioannem XXIII. extat 52. quod ſupradictus Ioannes Papa fuit, & eſt, pertinax peccator, induratus, incorrigibilis, Eccleſiam Dei notorie ſcandaliſans, fautor ſchiſmatis: Gregorius XII. & Benedictus XIII. à Concilio Piſano condemnati, vt hæretici. Sed & qui tenacius partes Papæ tuentur, aiunt eum, tanquam Doctorem, poſſe falli, tanquam Papam non poſſe, quæ ineptiſſima quidẽ eſt opinio, ſed hoc tempore à quibuſdam recepta. Et enim fruſtra dicerent Papam hæreticum deponendum, niſi Papam in hære-

2 Matth. 21. cap. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur.* At quis ferat, quæ de Chriſto, vero Deo, dicta ſunt, Papæ attribui? An Papa eſt lapis, quem reprobauerunt ædificantes, lapis fundamenti Sion, lapis probatus, angularis, pretioſus, in fundamento fundatus, Iſaiæ 28. Lapis viuus, Petri 2? Adfert alium locum ex Deuteron. cap. 17. *Qui noluerit obedire ſacerdotis imperio, morietur homo ille.* At quam bene ſuæ intentioni conuenit, ex toto loco, non truncato, videre eſt. Non enim de Pontifice ſolo loquitur, ſed de toto conſilio Iudaico, cui in his, quæ ad religionem pertinebant, præerat Pontifex, qui non ſolus iudicabat, ſed tantum ex conſilii ſententia pronuntiabat, vt demonſtrant hæc verba, *Qui iudicabant tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* Ioſephus, *Conuenientes*, inquit, *Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod viſum fuerit pronuntient.* Sed Moſem ipſum audiamus: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes Leuiticos*

ticigeneris, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque ſententiam eorum: qui autem ſuperbierit nolens ſacerdotis imperio obedire, moriatur homo ille. Quo ex loco contrarium neceſſario colligendum, quam fecit Durandus, ita vt quia poteſtas decernendi non data eſt ſoli Pontifici, ſed conſilio, ſi infallibilitatem ex eo alicui vult tribuere, certe conſilio potius, quam Pontifici, tribuenda ſit. Quod ad illud Luc. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: Hoc non poteſt intelligi de ſolo Petro, ſed de tota Eccleſia: aut ſi illud dictum eſt de ſolo Petro, ad tempus Paſſionis tantum referendum eſt. Si enim illud eſſet de Petro, & ſucceſſoribus eius, vt non deficeret fides eorum, certe fruſtra Canones decreuiſſent, Pontificem poſſe iudicari propter hæreſim. Nam qui dicit Papam poſſe in hæreſim incidere, neceſſario eius fidem poſſe deficere affirmat. Secundo ſi de Petro, & eius ſucceſ-

2 Matth. 21. cap. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur.* At quis ferat, quæ de Chriſto, vero Deo, dicta ſunt, Papæ attribui? An Papa eſt lapis, quem reprobauerunt ædificantes, lapis fundamenti Sion, lapis probatus, angularis, pretioſus, in fundamento fundatus, Iſaiæ 28. Lapis viuus, Petri 2? Adfert alium locum ex Deuteron. cap. 17. *Qui noluerit obedire ſacerdotis imperio, morietur homo ille.* At quam bene ſuæ intentioni conuenit, ex toto loco, non truncato, videre eſt. Non enim de Pontifice ſolo loquitur, ſed de toto conſilio Iudaico, cui in his, quæ ad religionem pertinebant, præerat Pontifex, qui non ſolus iudicabat, ſed tantum ex conſilii ſententia pronuntiabat, vt demonſtrant hæc verba, *Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* Ioſephus, *Conuenientes,* inquit, *Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod viſum fuerit pronuntient.* Sed Moſem ipſum audiamus: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes Leui-*

tici

Digitized by Google

tici generis , & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque ſententiam eorum : qui autem ſuperbierit nolens ſacerdotis imperio obedire, moriatur homo ille. Quo ex loco contrarium neceſſario colligendum, quam fecit Durandus, ita vt quia poteſtas decernendi non data eſt ſoli Pontifici, ſed conſilio, ſi infallibilitatem ex eo alicui vult tribuere, certe conſilio potius, quam Pontifici, tribuenda ſit. Quod ad illud Luc. *Rogaui pro te Petre,* 3
vt non deficiat fides tua : Hoc non poteſt intelligi de ſolo Petro, ſed de tota Eccleſia: aut ſi illud dictum eſt de ſolo Petro, ad tempus Paſſionis tantum referendum eſt. Si enim illud eſſet de Petro, & ſucceſſoribus eius, vt non deficeret fides eorum, certe fruſtra Canones decreuiſſent, Pontificem poſſe iudicari propter hæreſim. Nam qui dicit Papam poſſe in hæreſim incidere, neceſſario eius fidem poſſe deficere affirmat. Secundo ſi de Petro, & eius ſucceſ-

ſoribus, hoc dictum eſſet, certè ſucceſſores Petri in ſede Antiochena hoc priuilegio gauderent: æque enim ſunt ſucceſſores Petri, ac Pontifices Romani: ita vt ſi hoc de ſucceſſoribus Romanis potius, quam de Antiochenis, interpretarentur, totis faucibus ſe ridendos propinarent: & hoc in fauorem Romanorum Pontificum, non Petri Apoſtoli, prædicarent: At multi Epiſcopi Antiocheni in hæreſim lapſi ſunt. Tertio ſi illud obtineret, certe vnius decreta à ſucceſſoribus non poſſent abrogari: Reuocare enim ea non eſſet neceſſe, quæ firma & fixa eſſe deberent, vtpote decreta ab eo, cuius fides talis eſſet, vt errare nō potuiſſet. Quid quod & in cōſtitutionibus Eccleſię Gallicanæ, & in Schola, & in ſanctionibus Regiis, quā ſæpiſſime vſurpatum, *Claue non errante*? Poſtremo ſufficiat auctoritas Scholæ Pariſienſis, cuius præcipua ornamenta ita ſentire fatetur Valla pag. 84. *Chriſtū*, ſcilicet, *oraſſe pro Eccleſia immediate, pro Petro mediate, quatenus Eccleſiam repræſentabat*. Auguſt. lib. de quæſt. vet. & no.

Teſt. quæſt. 57. Petro dicit, *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? Pro* Petro *rogabat; & pro Iacobo, & Ioanne, non rogabat, vt cæteros taceam? Manifeſtum eſt in* Petro *omnes contineri. Rogans enim pro* Petro, *pro omnibus rogaſſe dignoſcitur.* Quem locum Valla pag. 80. turpiſſime excidit. Priora enim verba vnius & eiuſdem periodi occultans, poſteriora duntaxat excerpſit, vt falſiſſima & ineptiſſima ſua additione, aut interpretatione, aut potius corruptione, contrarium, quam quod Auguſtinus dixit, nobis exhiberet. Sic enim citat omiſſa particula, *Enim*, quæ hæc verba ex præcedentibus pendere demonſtaſſet: *Rogans pro* Petro, *pro omnibus, nempe ſucceſſoribus, rogaſſe dignoſcitur.* Quod ſi literæ, vt partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem vſurparent, nonne cum Valla pauca ſcriberet, multa, & quæ ſenſum auctoris aperiunt reticeret, ſtatim clamarent cæteræ, ſe ſcelеſte retineri? Nam quod Valla ſciens voluerit auctorem corrum-

Digitized by Google

pere, liquido apparet; quod interpretatus ſit, Pro omnibus, nempe ſucceſſoribus, quod vocabulum auctor ad Iacobum & Ioannem nominatim; & cæteros Apoſtolos refert, qui nullo modo de ſucceſſoribus Petri cogitauit. Hæc hæc Valla veteratoribus Miniſteriolis conueniunt; non Theologis: hæc exilio à Schola, hæc cenſura prouinciæ Senonēſis digna, nec erubeſcet prouincia Senonenſis cauſas cenſuræ explicare, nec Schola exilii. Quod ſi illud non admittant, & de Petro ſolo hunc locum intelligi malunt, ad tempus Paſſionis neceſſario referendus eſt. Hoc enim illa verba ſonant, *Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*. Conuerſum enim non poſſumus dicere, niſi poſtquam lapſus eſt: At Petrus non eſt lapſus, niſi tempore Paſſionis, quando Chriſtum negauit. Deinde non potuit Petrus cōfirmare fratres ſuos, niſi tēpore Paſſionis: nam eodē die, quo Chriſtus reſurrexit, inſufflauit in eos, & acceperunt Spiritum ſanctum: à quo tempore quid fuit opus confirmatione, cum ſatis con-

firmati eſſent, & Chriſti apparitione, & dono Spiritus ſancti, ita vt fides eorum deficere non potuerit? Poſtremo, cum dixit Chriſtus, *Omnes in me ſcandalum patiemini in hac nocte*, illud ſcandalum non poteſt intelligi, quam quod propter paſſionem Chriſti, eius Diſcipuli dubitaturi eſſent, an his quæ dixerat fides adhibenda eſſet: Cogitabant enim regnum terrenum Iſrael reſtituturũ: & illud ſcãdalum Chriſtus interpretatus eſt de fidei defectu, tempore Paſſionis, cum ait Petro, Antequam gallus cantet ter me negabis: vt non poſſit aliter ſcandalum intelligi, quam negatio facta à Petro. Origen. Homil. 17. in Luc. *Ergo ſcandaliſati ſunt vniuerſi, in tantum, vt Petrus quoque, Apoſtolorum princeps, tertio denegarit*. Quod in poſterum Apoſtoli non poterant pati, quibus Chriſtus eadem die ſenſum ſcripturarum aperuit, vnde edocebantur Chriſti regnum non eſſe terrenum. Quod autem ad monumenta Patrũ attinet, Durandus ex permultis, vt ait, duo ad id demõſtrandũ eligit, quibus ſibi ſatisfactum teſtatur: ſibi qui-

dem, ſed non cæteris, qui nuſquam hoc legiſſe apud Patres profitētur. Primum pag. 45. ex Cyrillo lib 1. epiſt. 3. *Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur.* Quæ modo ex Cypriano in libri frontiſpicio, nunc ex Cyrillo colligit. An vt multos ſuæ opinionis auctores laudare videatur? Nam quod Cyrillum laudauerit ſciens prudenſque, eum quater nominauit. pag. 10. 11. 45. 46.

4 Sed parum eſt ſi ſenſum Cypriani aliò non detorqueret. Tantum enim abeſt, hæc de Romano Pontifice Cyprianum dixiſſe, vt tota epiſtola id efficiat, ne ab Epiſcopis Africæ excommunicati, à Cornelio Pontifice Romano in communionem reciperentur: immo Cornelium admonet ſui officii, ne propter minas eorum, temeritatem, & deſperationem, Epiſcopatus vigor peſſum eat, & neceſſe eſſe, vt cenſuræ Eccleſieſticæ, ab vno Epiſcopo latæ, omnis fraternitas, etiam Romanus Pontifex, acquieſceret: quod ex textu totius epiſtolæ ſatis conſtat. Et hæc eſt doctrina perpetua Cy-

Digitized by Google

priani, ea ratione, quod ſit vnus Epiſ-
copatus duntaxat in Eccleſia, vnica fra-
ternitas, vnicum ſacerdotium in multos
diuiſum, vt ſupra monuimus, non vni-
cus ſacerdos, vnicus Epiſcopus. Iiſdem
verbis vtitur de ſeipſo loquens lib. 4.
epiſt. 9. *Inde ſchiſmata & hæreſes obortæ
ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus
eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam
præſumptione contemnitur?* Sed conceda-
mus Durando id Cyprianum ſenſiſſe,
vt verba ſonant; vbi vllum verbum in-
fallibilitatis, aut ex quibus verbis Cy-
priani infallibilitatem Pontifici compe-
tere colligit? An quia vnus ſacerdos, an
quia iudex, an quia ei nō obtemperatur?
Ita imprudenter Hieronymum laudat
epiſt. 57. ad Damaſum pag. 48. *Ego nul-* 5
*lum primum, niſi Chriſtum, ſequens, beati-
tudini tuæ, ideſt, cathedræ Petri communione
conſocior: ſuper illam petram ædificatam Ec-
Eccleſiam ſcio.* Et paulopoſt, *Quicumque
tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chri-
ſti non eſt, Anti-Chriſti eſt.* Et rurſum pag.
121. alium locum ex eadem epiſtola,
cum verbis phaleratis, *Non timebo tres*

Digitized by Google

hypoſtaſes dicere, ſi iubetis. At nihil po-
tuiſſe dicere ait, quod apertius infalli-
bilitatem cathedræ Petri aſtrueret.
Quinimo nihil potuit Hieronymus di-
cere, quod apertius infallibilitatem Pa-
pæ deſtruat: Et, vt vno verbo abſoluam,
omnibus, qui ex Patrum monumentis,
quod cathedræ Petri, & Eccleſiæ Ro-
manæ eximiam & laudatiſſimam fidem
extulerint, infallibilitatem Pontifici
tribuere conantur, hoc ſoli Pontifici
quadrare & conuenire pernego. Hallu-
6 cinantur enim qui Papam cum cathe-
dra & Eccleſia Romana confundunt,
& idem eſſe arbitrantur: Sed ita oculo-
rum aciem iis perſtringit ſua opinio, vt
id ex locis Patrum quos laudant, licet
expreſſum ſit, non poſſint comprehen-
dere. Hoc expreſſiſſime Hieronymus in
hoc loco, *Beatitudini tuæ, id eſt, Petri ca-*
thedræ conſocior communione. Vide quem-
admodum ille Pater, non Papæ, ſed ca-
thædræ Petri conſortium flagitet. Nam
ſi illi tantum Damaſi communio ſuffi-
ceret, vtpote infallibilis, ad quid addi-
diſſet, *id eſt, Petri cathedræ*? Quod ſi per

Digitized by Google

cathedrã Petri Damaſum intellexiſſet, vt videtur velle Durandus, illa repetitio eſſet abſurda: ac ſi diceret, Damaſo, id eſt Damaſo. Sed Hieronymus, vt Eccleſiæ rerũ peritiſſimus, voluit Damasũ, nõ cathedrã potuiſſe falli: quia nemo à labe alienus. Fallere Papa, & falli poteſt: Et aliã hypoſtaſis definitionẽ potuiſſet tradere Damaſus, quã ea, quæ tradita eſt à Patribus Nicænis: Et per illud verbum, naturã, non perſonam, intelligendã, ſecundũ veterem interpretationẽ: quod in Eccleſiam Romanã cadere non potuiſſet, quæ interpretationẽ Nicęnæ ſynodi amplexata erat. Igitur per cathedrã Petri, ſeu ſedem, Eccleſiã Romanã intelligimus, cui Papa prçeſt. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. *Florentiſſimo illi Clero tecũ præſidẽti*. Et epiſt. 1. ad Corneliũ ſcripta, in qua cum ſingulariter Cornelium, tũ pluraliter Eccleſiam, & fratres alloquitur. Felix in anathemate contra Petrum Antiochenum, *Firma ſit hæc tua depoſitio a me, & ab ijs, qui vna mecum Apoſtolicum thronum regunt*. Synodus Sarcenſis Concilium appellat c. 5. Sic Chri-

ſtus cathedram Moſis vocat conſilium Iudaicum, non ipſum Pontificem: quam quidem cathedram nuſquam erraſſe compertum eſt, quandiu iudicium Dei exercuerunt ij, qui ſuper eam ſedebant. Sed quando iudicium hominis ſecuti ſunt, & popter auaritiam, & ambitionem, traditionibus ſuis legem Dei euerterunt, vel ne quid deterius eis contingeret, ne Romani venirent, & tollerent gentem ſuam, tum in errorem lapſa

7 eſt. Sed & in Eccleſia Romana idem contigit, cuius fides & integritas à Paulo Apoſtolo prædicata, & omnium antiquorum monumentis celebrata eſt. Et certe temporibus eorum Patrum, quos laudant noſtri Doctores, nuſquam in errorem lapſa eſt: Sed nullus eorum docuit, nec in futurum vſquam falli poſſe. Quod ſi & illi Patres ad noſtram ętatem perueniſſent, haud negaſſent, quandiu Petrus verbis Chriſti fidem habuit, ſuper aquas ambulaſſe: cum orta tempeſtate dubitauit, pene ſubmerſum eſſe. Cum Stephanus Concilium coegit, hoc non fecit, vt de rebus ad fidem pertinen-

tibus decerneret, ſed vt Martini, & Formoſi acta & decreta antiquaret, & ſe de Formoſo vlciſceretur, quod in ambitu Pontificiæ ſedis eum viciſſet. Cum Romanus Rauennæ Conciliũ habuit, nec de Deo, nec de Eccleſia vnquam cogitauit: ſed odium in Stephanum cauſa fuit huius ſynodalis coactionis, in qua acta Concilii ſub Stephano combuſta ſunt. Cum Sergius in Romanum inſurrexit, habita ſynodo, & Formoſum rurſum damnauit, nec Chriſti, nec Spiritus ſancti vlla facta eſt mentio. Cum Adrianus Papa, & Cardinales, pactionem fecerunt contra Fridericum Imperatorem, inter cuius articulos ille extat, quod ſi mortuus eſſet Papa ille, de numero conſpiratorum alium eligerent, vt refert Abbas Vrſpergenſis: aut cum Cardinales per ſimoniam Pontifices elegerunt, vt patet ex ſynodis Lateranenſibus: aut cum ad deturbandos Reges & Imperatores, cogitur Romana Eccleſia: aut cum imperia totius mundi ſomniant: aut cum ad vlciſcendas iniurias Pontificis, excommunicationum

ſulmina in Reges iaciunt: Certe tum Eccleſiam Romanam maxime errare dicimus, & non poſſe falli, & cathedræ infallibilitatem tribuere ineptum eſt. Aliud eſt, cum de fide agitur, & in nomine Chriſti congregatur. Dicere enim tunc in fide errare poſſe hoc maxime
8 hæreſim ſapit. Quod autem de Petro Oxomenſi refert Valla pag. 74. nempe in ſynodo Complutenſi eum eſſe damnatum, quod Eccleſiam vrbis Romæ errare poſſe aſſereret, id quidem ſcriptum in Summa Conciliorum: Sed nec Bulla Sixti extat, nec ipſam Bullam, ſed exemplaria dũtaxat ſe vidiſſe auctor Summæ teſtatur. Adde quod Gomecius, diligens Hiſpanicarum rerum ſcriptor eius temporis, cum multa in vita Ximenii de Complutenſi Academia & Eccleſia, & de iis quæ temporibus Carilli Archiepiſcopi Toletani ibi geſta ſunt, verba faciat, tamen de illa ſynodo tacet, quod certe Hiſpanum, quiſquis eorum ſcripta legerit, prætermiſiſſe, ſi verum eſſet, non eſt veriſimile. Sed & meminiſſe debet Valla, ſe nullos in

decernendis cauſis fidei, præter Epiſco-
pos, admittendos aſſerere, At illi con-
gregationi nullus Epiſcopus, prȩter To-
letanum interfuit. Interim notandum
Vallam, vt ei plus fidei adhibeatur ca-
thedram illius Petri publice combu-
ſtam dicere, quod in Summa Concilio-
rum nuſquam extat; & veriſimile eſt à
quodam nugatore confictum. At quam
inſulſe Durandus vult oſtendere infal-
libilitatem ex vſu Eccleſiæ Pontifici
competere, quod confirmatio Conci-
liorum à Pontifice peti ſolita ſit? Nam 9
nec Concilia generalia, nec particularia
confirmata à Pontificibus vſquam le-
ctum eſt. Fateor equidem quorundam
celebrationi conſenſiſſe, ſed paucorum:
verum de confirmatione ante Concilia
recentiora non legimus: Et certe quo-
rundam notatione opus erat. Quinimo
Concilium Africanum, de quo Cypria-
nus epiſt. 4. contra Stephanum Ponti-
ficem Romanum coactum eſt, qui eos
in communionem recipi volebat, qui
alio Africano Concilio, de quo epiſt.
2. excommunicati erant: cuius ſenten-

Digitized by Google

tiæ omnis Eccleſia acquieuit: & in multis Conciliis, iuxtà ſententiam illius Africani, decretum, ne excommunicatus ab vno Epiſcopo, ab aliis Epiſcopis recipiatur. Nec minus inepta certe, quæ à Pelletario pag. 59. dicta ſunt, circa confirmationem quatuor priorum Cõciliorũ. Primum ait à Patribus Nicænis petitam eſſe à Syluestro confirmationẽ decretorum Concilii. Hoc falſiſſimum eſt. Nulla enim epiſtola ſynodalis ad Syluestrum extat. Et hoc dixiſſe ſufficeret: Sed vt reſpondeam epiſtolis de quibus ipſe loquitur: Excerptas eas aiunt ex vetuſto exemplari bibliotecæ Prædicatorum Colonienſiũ. Hæc non ſufficiunt ad veritatis probationem, cum non dicant, à quibus acceperint Prædicatores, quorum collegia ſunt recentiora. Tum nullus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor Syluestri in ea ſynodo mentionem fuiſſe factam affirmat. Deinde hæc epiſtola à ſynodo ſcripta non dicitur, vt falſo aſſerit Pelletarius, ſed ab Oſio Epiſcopo Cordubenſi, Macario Epiſcopo Conſtantinopolitano, Victo-

re & Vincentio Legatis Romanis. At tantum, abeſt vt Macarius eſſet Epiſcopus Conſtantinopolitanus, quin Cōſtantinopolis nondum ædificata erat, nec fuit, niſi ſeptem annis poſt inceptam ſynodum. Sed & falſas eſſe ex hiſtoria Concilii facile deprehendes. Synodus Nicæna congregata eſt anno 18. Conſtantini Paulino & Iuliano Coſſ. XVII. Kal. Iulii, vt ex 2. act. Concilii Chalcedonenſis videre eſt: Epiſtola autem prædicta data eſt VIII. Kal. Iulii iiſdem Coſſ. Igitur, ſi vera eſſet epiſtola, eorum quæ nondum decreta erant confirmatio peteretur, ſiue dicas ſynodum dimiſſam tribus annis poſtquam cæpta eſt, vt vult doctiſſimus Scaliger lib. 5. de emendatione temporum, ſiue vno anno, vt vult Vignerius in Bibliotheca hiſtoriali, ſiue paulominus duobus annis, vt ex Euſebio, & Sozomeno lib. 1. cap. vlt. facile eſt colligere. Ex quibus certum eſt, eodem anno Cōſtantini, quo Vicennalia eius celebrata ſunt Nicomediæ, quique fuit viceſimus imperii, dimiſſam eſſe, cum cœpiſſet

18. Conſulatus enim Paulini & Iuliani incidit in 18. annum Conſtantini. Deinde in principio ſynodi, antequam aliquid de fide decernerent, multæ contentiones inter Epiſcopos interceſſerunt, & multorum libelli Conſtantino oblati, quibus diſcutiendis nouem dies, id eſt, inter XVII. & VIII. Kal. non ſufficerent, antequam à Conſtantino edictum, ne ad alia negotia, quam fidei diuerterent. Adde quod & ea quæ decreta erant, e Græco in Latinum verſa eſſe teſtatur epiſtola, ad quæ dies quidam conſumpti. Sed viderint quam bene dicantur contextæ à magna ſynodo epiſtolæ, quæ tota Oedipo indiget. Detur tamen Pelletario veras eſſe: in neutra confirmatum fuiſſe Concilium reperias, neque ex illa confirmatione vires accepiſſe vllo modo coniicere poſſis. Sententiæ enim Concilii accedere, confirmare non eſt, quod in illis epiſtolis duntaxat legas. Nam quod ab Epiſcopis Africanis Concilium Sardicenſe petierit per epiſtolam, vt ſuis ſuffragiis ſententiæ Concilii accederent, vt refert

Atha-

Athanaſ. Apol. 2. illud factum non eſt, vt decreta Concilii confirmarent: alioquin diceremus ius confirmationis ad Epiſcopos Africanos pertinere. Quod autem attinet ad Concilium Conſtantinopolitanum, cuius confirmationem à Damaſo petitam affirmat Valla pag. 70. & Pelletarius ex Theodoreto lib. 5. cap. 8. & Epheſini à Cæleſtino, nuſquam eſt. At quis non rideat quod dicit, 3. act. Chalcedonẽſis Concilii petitam fuiſſe confirmationem à Leone, cum ſexdecim fuerint huius ſynodi actiones: vt vel ex ipſo Pelletario non fuerit petita confirmatio tredecim poſteriorum, quaſi tres ſolæ priores cõfirmatione indigerent, tredecim autem poſteriores minime? Quod autem factũ eſt 3. act. illud eſt, quod peterẽt obnixe Patres, vt ſuum calculum ſynodi ſententiæ adderet, circa priuilegia ſedi Conſtantinopolitanę tributa in ſynodo Cõſtantinopolitana: ad quod nullus vnquam potuit Romanos Pontifices adducere. Quod autem Durandus pag. 60. de Pontificibus qui condemnaue-

Digitized by Google

runt hæreticos Petro Simonẽ, Cornelio Nouatianos, Melchiade Donatiſtas, Sylueſtro Arianos, Damaſo Macedonianos, Cæleſtino Neſtorianos, Innocẽtio Pelagianos, Leone Eutichianos, certe obdurat Durandus, acſi fullonicã didiciſſet, non quidẽ in fullonico artificio, ſed in mẽdaciis, ita durus, & pertinax eſt. Petrus Simonẽ, non vt hęreticũ, ſed vt nequiſſimũ & ſceleratiſſimum arguit, nec Cornelius Nouatianos condẽmnauit, cum eorũ hæreſis exploſa ſit in Cõcilio Romano, cui pręerat, ſexaginta Epiſcoporũ, totidemque presbyterorũ, cũ Diaconis, vt refert Euſeb. lib. 6. cap. 35. Melchiadem autẽ Donatiſtas condẽnaſſe falſum eſt: tantũ Cæcilianum ſedi ſuæ reſtituit, quod cum Donatiſtis non communicauerat, vt ſupra monuimus. Arianos autẽ, non Sylueſter, ſed Nicæna ſynodus: Macedoniũ, non Damaſus, ſed Conſtantinopolitana, cui nec ipſe, nec per Legatos interfuit: immo nullus Epiſcoporum Occidentalium: Neſtorium Epheſina, Eutichem Chalcedonenſis, Pelagium Africana condemna-

uerunt. At quis vnquam Patrum ita lo- 10
quutus eſt, vt nos docet Durandus?
Quod in ſynodis tempore alicuius Pon-
tificis decretum eſt, id ad Pontificem re-
fert. Immo contrarium obſeruandum.
In Africano Concilio decretum eſt, c.
88. apud Balſam. *Vt Præſidens nomine to-
tius Concilii dictet & ſubſcribat.* Apoſto-
li iubent Apoſtolorum & Seniorum, in
Concilio Hieroſolymitano, non Petri,
obſeruare decreta. In ſynodis poſterio-
ribus Nicæna conclamabant, Hæc eſt
fides Patrum, non Sylueſtri. Clemens
Eccleſiæ Romanæ nomine ſcripſit, Cy-
prianus nomine Africanæ ſynodi, & hu-
iuſmodi ſunt epiſtolæ à ſynodis ſcriptæ,
de quibus paſſim in hiſtoria Eccleſiaſti-
ca. Quandoquidem igitur infallibilitas 11
non conuenit Papæ, neque Eccleſiæ
Romanæ particulari, cui igitur compe-
tit Canones cõdere? Nam illud religio-
ni maxime conſentaneum eſt, eius eſſe
Canones generales condere, qui dona-
tus eſt à Chriſto hoc priuilegio, vt erra-
re non poſſit. Qui enim errorem dam-
nare vult, caueat ne ſibi ſit erroris con-

ſcius. Ea ſola eſt Eccleſia, per generalē Concilium repræſentata, quæ eſt ſponſa Chriſti, columna & firmamentum veritatis, vt ait Paulus. Gloſ. in c. a recta, 24. quæſt. 1. *Quæro, de qua Eccleſia intelligas, quod non poſſit errare? ſi de ipſo Papa, qui Eccleſia dicitur? Sed certum eſt, quod Papa errare poteſt*, 19. *diſt.* *Anaſtaſius*. 40. *diſt. ſi Papa: Reſponde, ipſa congregatio fidelium*. A Chriſto enim docta eſt, Cant. cap. vlt. *ibi me docebis*: & Chriſtus Spiritum ſanctum, & ſe, in perpetuum cum ea permanſurum promiſit. Ita & legum latio, & Canones generales ſuper legis Chriſti interpretatione, proprie à Chriſto, & Eccleſia, petendi ſunt.

12 Canonum autem executio, & interpretatio, non durante Concilio, à Pontifice, vt capite Eccleſiæ, & legum cuſtode, & Romanæ Eccleſiæ conſilio. Conſilium Iudaicum conſtitutum erat ad legis interpretationem, non ad nouæ lationem. Conſilii caput erat Pontifex, non Legiſlator, cuius æqua erat poteſtas in lege veteri, vt in noua ſummi Pōtificis. Sic enim nos docent qui ad con-

Digitized by Google

firmationem poteſtatis Pontificiæ hinc argumenta, vt infallibilia, petunt. Aduerſus hoc inſurgit Valla pag. 99, & exclamat, Lutheri, Caluini, Valdenſium, Marſilii, dogma. Sed valeant hæretici, & ad rauim vſque vociferare ſinamus Vallam: eius autem rationes excutiamus: Marcionis, Manichæorũ, Nouatianorum, Helceſaitarum, Meſſalianorum hæreſes, à ſolis Pontificibus, abſque generalibus Conciliis eſſe damnatas, & Cypriani errorem. Valla, vt præuaricator, ſtatum cauſæ mutat. Nam nõ eſt controuerſia, an Papa poſſit, ſine generalibus Conciliis, Canones condere, ſed an ſolus, & ſine ſynodo, Canones nouos in Eccleſia ſtatuere: quod negamus, nec Valla, nec Con-doctores eius vſquam probare poterunt. Sed & mala fide illud verbum, *Solis*, addidit, Solus enim non poteſt dici condemnaſſe Nouati hæreſim, aut errorem Cypriani, cum in ſynodo particulari condemnarit. De Marcione autem, Manichæis, Helceſaitis, & Meſſalianis, negatur. Valla enim eos à Romanis Pontificibus

Digitized by Google

nuſquam damnatos probabit. Hoc au-
tem verum eſt, multas hæreſes damna-
13 tas à ſynodis particularibus, quibus, &
nõ ſoli põtifici, condẽdi Canones eſt fa-
cultas, cũ hęreſis noua in prouincia par-
ticulari emergit: ſiue iis præſint Ponti-
fices, ſiue iis abſentibus, nec expectata
eorum auctoritate: qui Canones vires
non accipiunt, niſi ex communi con-
ſenſu totius Eccleſiæ vniuerſalis, vt o-
ſtendi ex c. in canonicis. Cedrenus, *Te-
nendum eſt*, inquit, *alias fuiſſe certis in locis
ſynodos, quarum decreta habemus, tametſi eæ
in numero ſex Conciliorum non extent. Tale
fuit quod Ancyræ actum eſt, item Neocæſa-
riæ, Gangris*, Antiochiæ, *Laodiceæ, Sardi-
cæ, Carthagine. Hæc enim coacta ſunt ob
quæſtiones certis locis obortas, nec iuſſu* Impe-
ratorum, nec iis præſentibus. Montani &
Cataphrygum dogma à ſynodis Aſia-
nis damnatum eſt, Euſebius lib. 5. cap.
15. & 18. Pauli Samoſateni ab Antioche-
nis, lib. 7. cap. 22.: Berylli ab Arabicis:
Marcelli Ancyrani Epiſcopi à Conſtan-
tinopolitana: Et de celebratione Paſ-
chatis non ſolum in ſynodo Romana

actum eſt, ſed ſynodis in Paleſtina, Gallia, Oſrhoena, Corinthi, lib. 5. c. 22. Et hæ omnes celebratæ abſque auctoritate ſummi Pontificis, nec ab eo confirmatæ. C. prima adnotatio, 16. diſt. *Ancyrana ſynodus in qua Patres ſtatuerunt Canones viginti quatuor, quorum auctor maxime Vitalis Antiochenus Epiſcopus. Neocæſarienſis, in qua Patres ſtatuerunt Canones quatuordecim, quorum auctor maxime Vitalis Epiſcopus Salaminius. Gangrenſis in qua Patres ſtatuerunt Canones viginti,* &c. Viginti quatuor enumerat Concilia particularia, & Canonum auctores præcipuos, quos tamen, vt Eccleſiaſticos, & vniuerſales, venerata eſt Eccleſia, licet multis Papa non interfuerit, nec per ſe, nec per Legatos, & horum auctor minime extiterit. Per illum autem Canonem, prima adnotatio, confirmata eſſe, ridiculum eſt, cum in illo Canone Papa gerat duntaxat perſonam narrantis, nō illa Concilia confirmantis. Ex his patet, quam noſtri Doctores fallantur, qui volunt ex eo ſynodum infallibilitatem nanciſci, quod Pontifex præſit, vel per

Digitized by Google

ſe, vel per Legatos ſuos: Alioquin, inquiunt, corpus eſſet mutilum, ſiue capite, nec Eccleſia poſſet dici, Pontifice, vt
14 capite, deſtituta. Quod ad Concilia generalia attinet, nulli, præter Chalcedonenſe, ex ſex prioribus Conciliis, præfuiſſe certum eſt. Nicæni præſidens fuit & moderator Euſtathius, Præſul Antiochenus, præſentibus Legatis Apoſtolicis. Hic enim a latere dextro Imperatoris primam ſedem occupabat, & verba nomine totius Concilii fecit ad Imperatorem, & hymnum Deo cantauit, Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. cap. 11. Theodor. lib. 1. cap. 7. Legati autem Apoſtolici in Concilium miſſi, non vt præſiderent, ſed vt actis Concilii, nomine Pontificis, acquieſcerent, Theodor. Conſtantinopolitano Pōtifex, nec præfuit, nec interfuit, nec Legati in Concilium miſſi: immo nullus Epiſcopus Eccleſiæ Occidentalis, cuius decretis primus Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in ea ſynodo electus ſubſcripſit. Epheſini moderator fuit Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, præſenti-

bus Legatis Apoſtolicæ ſedis, vt patet ex actis ipſius ſynodi, quæ inſerta ſunt act. 1. ſynodi Chalcedonenſis, quibus certum eſt, Cyrillum ſuo nomine, non Pontificis Romani, ſubſcripſiſſe actis ſynodicis, & Canonibus, & poſt Cyrillum, Arcadium, ſedis Romanæ Legatū. Quæ arguunt vanitatis compilatores Conciliorum, qui ex Euagrio male intellecto, vt facile eſſet demonſtrare, probare tentant, Cyrillum nomine Papæ præſediſſe. Quintę ſynodi Oecumenicę præſidens fuit Mennas Patriarcha Conſtantinopolitanus, præſentibus Legatis Apoſtolicis: quæ res in iudicium deducta, ab ipſo Iuſtiniano diffinita eſt, vt ſcilicet Patriarcha Conſtantinopolitanus primas partes obtineret. Hoc expreſſum in actionibus huius Concilii, quarum principia ſic ſe habent, *Præſidente Domino noſtro ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Oecumenico, Menna: & à dextra quidem parte conſidentibus ei, & coaudientibus, iuxta pium iuſſum Chriſto amantiſſimi, & à Deo cuſtoditi, Imperatoris noſtri Iuſtiniani, ſanctiſſi-*

mis ac Deo amantiſsimis Epiſcopis, Sabino Canuſino, &c. qui erant Legati Apoſtolicæ ſedis. At in 6. in Trullo, à dextra Imperatoris Præſul Conſtantinopolitanus, à ſiniſtra Legati Apoſtolici ſedebant, vt refertur act. 1. Hæc ſufficiant ad demonſtrandũ generalia Concilia, quæ vt ſacram paginam veneratur Eccleſia, Pontifice non præſide, infallibiles Canones condidiſſe. Quid quod & in Carthaginenſi ſynodo prouinciali Aurelius Epiſcopus præſidens erat, etiam præſentibus Legatis Apoſtolicis? Addit Valla, multos Pontifices edidiſſe multas epiſtolas decretales generales. Illud quidem verum eſt, ab Eccleſiis vt plurimũ obſeruatas eſſe, quæ ſedi Romanæ ſubiectæ erant, cuius Patriarchatus, ante Conſtantinopolitanum Concilium, in Aſia, præter prouincias, quæ cęteris Patriarchis attributæ erant, maxime extendebatur. Innocentius ad Decẽtium, *Manifeſtum eſt in omnem* Italiam, *Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe* Eccleſias, *niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus* Pe-

trus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes. Oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt. Et Leo ad Epiſcopos Siciliæ, *Quã culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & beati* Petri *Apoſtoli ſedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Et ſynodus Tarraconenſis prouinciæ ad Hilarum Papam, *Quam curam Apoſtolatus veſter de prouinciarum ſuarum ſacerdotibus gerat.* Idemque fecere Patriarchæ Conſtantinopolitani, & alii Patriarchæ, quorum epiſtolæ ab Eccleſiis, quæ eorum Patriarchatui ſubiectæ erant, receptę ſunt, toto lib. 2, & 3. Iuris Oriental. Sed ita ſeruatæ, ſi Canonibus eſſent congruæ. Africanæ ſynodi, & tempore Cypriani, & in cauſa Cæciliani Epiſcopi, & Epiſcoporum Donatiſtarum, & in cauſa Apiarii, nullo modo Pontificiis epiſtolis obtemperare voluerunt, quod dicerẽt, illud eſſe contra Canones, vt Epiſcopi à ſynodis condemnati, à Pontificibus Ro-

manis reſtituerentur. Hinc Donatiſtæ Epiſcopi precibus effecerunt apud Imperatorem, vt daret iudices, qui de ſua reſtitutione cognoſcerent, Opt. Mileuitanus lib. 1. & Melchiades, non vt iudex ordinarius apellationis, ſed vt ab Imperatore delegatus, cum Epiſcopis ſeptemdecim, quos elegerat Imperator, ſedem Cæciliano reſtituit. Et cum de appellationibus Epiſcoporum Bonifacius ad Concilium Africanum ſcripſiſſet, omnes reſponderunt, obſeruaturos quæ in Canonibus Nicænis decreta ſunt, apud Balſam. Quod obſeruatum in Gallia patet. Cum enim Salonius Ebredunenſis, & Sagittarius Vapicenſis Epiſcopi in ſynodo Lugdunenſi ſedibus ſuis eſſent eiecti, Regem accedunt, implorantes ſibi tribui licentiam, vt ad Papam vrbis Romæ accedere liceret. Gregor. Turon. lib. 5. quod certe non feciſſent, ſi illud iure ordinario potuiſſent. Gerbertus Archiepiſcopus Rhemenſis, Siguino Archiepiſcopo Senonenſi, *Sit lex communis Eccleſiæ Catholicæ Euangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones ſpiritu*

Dei conduti, & totius mundi reuerentia conſecrati, decreta ſedis Apoſtolicæ, ab iis non diſcordantia. Hæc arguunt ſynodum Sardicenſem non fuiſſe generaliter obſeruatam, quæ permittit Epiſcopis Pontificem Romanum adire, vt de iteratione, vel reuiſione iudicii ſtatueret. C. 26. ſynodi octauæ Conſtantinopolitanæ, quę celebrata eſt circa annum 870. *Liceat Epiſcopis prouocare ad Patriarcham, ſi crediderint ſe iniuſtitiam pati à Metropolitano, à quo litibus finis imponatur.* Immò contrarium videtur ſtatutum in Carthaginenſi Concilio 3. c. 7. Vt iudicia Epiſcoporum ad ſynodum vniuerſalem anniuerſariam Africanorum Epiſcoporũ deferretur. Et in epiſt. ad Cæleſtinum ſynodus Africana ex 5. C. Nicænæ ſynodi, infert Epiſcopos ſuis Metropolitanis conceſſos. Quam etiam interpretationem dicti Canonis admittit Innocẽtius ad Victriciũ Rhotomagenſem Epiſcopum cap. 3. Verum multis argu- 16
mẽtis vtitur Valla, quę dicit eſſe Theologorum, quibus efficere conatur, Papę eſſe condere Canones, non quidem vt

in ſynodis præſides, quod verum eſſe fatemur, ſed vt Monarchæ Eccleſiæ abſoluti: *Eccleſia eſt Reſpublica vndiquaque perfecta, ad imaginem Triumphantis expreſſa, ita vt nihil, quod ad eius conſeruationem facit, ei deeſſe debeat: Atqui ad optimã Reipublicæ gubernationem, præſertim vbi ſtatus eſt Monarchicus, ad ſuperiorẽ ſpectat ſancire leges.* At meminerit Valla aliã, ab eſſentiali, Eccleſiæ definitionẽ nobis exhibere, quod in Richerio reprehendit: & illius ſyllogiſmũ irridere pag. 14. quod attributũ cõcluſionis, ſecũdũ præcepta Dialecticorũ, propoſitionibus non reſpondeat, & tamen in eum errorem incidiſſe, cum in neutra propoſitionum Papæ fiat mentio. Sed vt ea, vt puerilia, prætermittam, nego ſimilem poteſtatẽ habere Pontificem in terris, quam Deus Optimus Maximus & Omnipotens in cœlo: Et hoc aſſerere, eſt impiiſſimum. Item nego ſtatum Eccleſiæ eſſe Monarchicum abſolutum, vt eſt cœleſtis Hieruſalẽ, ſed Ariſtocratico temperatũ aio: Et eſſe liberum Pontifici, vt Monarchæ abſoluto, leges, quas Chriſtus ſo-

lus ſuæ Eccleſiæ Monarcha abſolutus tulit, & eius ſponſa Eccleſia, per Concilia generalia repræſentata, abrogare, & nouas condere: & de Canonibus circa fidẽ, & reformationẽ generalem Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris, & ad ea pertinentibus, vllo modo poſſe diſpenſare: & ea ſentire, ſecundum decreta ſanctorum Conſtantienſis & Baſilienſis Conciliorum, Anathema. Secundum argumentũ Vallæ: Lex a ligando dicta: Atqui Chriſtus dedit Petro & Apoſtolis poteſtatem ligandi: Igitur & leges ferendi. Hoc concedo, ſi dicat Petro, & Apoſtolis, collectiue competere: Secus eſt ineptiſſimum argumentum. Nam cum quilibet ſacerdotum poſſit ligare, vt fatetur pag. 37. ſequeretur & leges cõdere poſſe. Quod apud Matth. eſt ligare, apud Ioann. eſt retinere: Ergo ſi non reddis quæ acceperis, ſed retinueris, potes leges ferre. Tertium argumentũ eſt, *Reges terræ, ex Richerio, ad Eccleſiæ incolumitatẽ & Canonũ Eccleſiaſticorũ executionẽ leges ſancire poſſũt: Igitur multo magis Eccleſiæ Prælati, & præſertim ſum-*

mus Pontifex. Vnde ſi Canones de nouo non poſſit condere, ſed veterum tantum executionem procurare, non maiorem in Eccleſiam, quam Imperator vel Magiſtratus ſecularis obtinebit poteſtatem. Nuſquam negauit Richerius Prælatos & Pontificem poſſe de nouo Canones condere, ſed illud in ſynodis: Extra quas, licet Papa ſummã habeat poteſtatem in Eccleſia, tamen eam dicimus regulari ſecundum Canones, & ad executionem, interpretationem, diſpenſationem, & directionem Canonum reducendam, non ad inſtitutionem. Quartum argumentum, *Facultas Pariſienſis decreta quædam, etiam in materia fidei poteſt edere, & cenſura in libros hæreticos, aut ad hæreſim accedentes animaduertere: Atqui Pontifex eſt eius ſuperior.* Maiorem nego. Nunquam Facultas Pariſienſis decreta noua condidit in materia fidei, ſed errores contrarios eſſe legi & Canonibus declarat doctrinaliter, vt loquitur Schola: cum & argumento ſequenti fateatur Valla, pro fide, Pariſienſes ad Concilium generale vltimam eius analyſim referre. Eadem

Schola

ad Conſtantienſe Concilium, cum quæſta eſſet de Ioannis XXIII. à Concilio receſſu, *Non diſpergantur*, inquit, *oues gregis, propter paſtoris abſentiam, ſed occaſio ſit hæc in centuplo maioris vnitatis: Quoniam communia noſtrum omnium vota, & vniuerſæ fidelium mentes, ſequentur veſtra deliberata, pro firmis veritatibus ſuſtinebunt, vobis in cunctis innitentes.* Quo ex loco docemur, Scholam Pariſienſem, Concilium ſine Papa eſſe validum, aſſerere, & eius decreta, abſentia, vel conſenſus Papæ defectu, non vitiari: decretaque ipſius ſynodi religioſiſſime ſemper obſeruanda præcipere. At contrariũ Valla, Scholæ deſertor, vult nobis perſuadere. Probare conatur etiam ex Doctoribus Pariſienſibus, quædam Pontifices poſſe decernere, quorum tranſgreſſio eſſet peccatum. Hoc nemo vnquam negauit, vt pote quibus Canonum interpretatio & cuſtodia incumbit. Nec enim vt oſtiarium, ſiue ῥαβδοῦχον, nos Papã facere putet Durandus. Nam & ipſi Principes, & iudices, ſunt legũ vindices. Iudex enim eſt lex viua, & iudicat ſecundum

Digitized by Google

legem, cuius & eſt interpres. *Ideo permittente Domino paſtores hominum ſumus effecti, vt quod Patres noſtri, ſiue in ſanctis Canonibus, ſiue in mundanis affixere legibus excedere minime debeamus*, c. ideo 25. quæſt. 1. & c. nec licuit, 17. diſt. *Quoties aliqua de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur, de eo, quod non intelligunt, ad Apoſtolicam ſedem, pro recipienda ratione, conueniant*. En vt ipſi Pontifices ſe Canonũ cuſtodes & interpretes profitentur. Imperator in l. omni C. de ſacro. Eccleſ. *Si dubietas emerſerit ſuper Canones Conciliorum Illyricanæ prouinciæ, ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum accedant, qui Romanæ prærogatiua lætatur*. Gelaſius c. 1. 24. quæſt. 1. ſe executorem Canonis aſſerit, quem Canonem, ſi diligenter attendas, deprehendes neceſſarium eſſe, aduerſus hæreſes de nouo emergentes, Concilium conuocare: tantum abeſt, vt ſententia ſolius Pontificis ſufficiat. Gratianus, *Vnde cum Acacius abſque ſynodali auctoritate ſe damnatũ quereretur, cõtra Gelaſius ſcribit, dicens: Acacius non eſt factus inuentor noui erroris, ſed veteris imitator:*

Digitized by Google

*Atque ideo non erat neceſſarium, vt aduer-
ſus eum noua ſententia prodiret, ſed antiqua
tantũmodo renouaretur. Factus sũ itaque exe-
cutor veteris conſtituti, non promulgator noui.*
Idque magis elucet coniuncto. c. 3. ead.
diſt. I*taque neceſſe eſt, vt in illam recideret
iuſta lance ſententiam, quam cum ſuis ſucceſ-
ſoribus per conuenientiam ſacerdotalem ſuſce-
perat auctor erroris.* Sed & ipſe Gratianus
eos ſacrorũ Canonũ miniſtros, & decre-
torũ appellat diſt. 21. Poſtremo repre- 17
hẽdit Valla Richeriũ, quod dixerit, lap-
ſu temporis, cum omnes Chriſtianæ na-
tiones ſummis ignorantiæ tenebris con-
ſopirẽtur, abſolutam auctoritatem om-
nia decernendi, collegiſſe, precipue à
Gregorii. VII. temporibus. Et ait de fi-
de eſſe, in Eccleſiam, non ſolum in Cõ-
cilio congregatam, ſed diffuſam vbique
terrarum, ignorantiam non poſſe cade-
re. Sed & obiectioni ampliſſime ſatisfa-
cit: Ait enim, forte Richerium non in-
tellexiſſe de ignorantia rerum ad fidem
pertinentium, ſed de alia, quæ tantum
eſt reſpectu Eccleſiaſticæ diſciplinæ.
Sed qualis eſſet ignorantia, immo lon-

Digitized by Google

go tempore ante Gregorium VII. Regino teſtatur lib. 2. *Miſsi* inquit *Hagano & Rodoaldus, Apoſtolicæ ſedis Legati, in Galliam, ad diſcutiendum vtrum res ſe haberet; ſicut ſummo Pontifici nuntiata erat; ad regem perueniunt: cum ei declaraſsent Legationis ſuæ cauſas, tale reſponſum ab eo acceperunt: Se nihil aliud egiſſe; niſi quod Epiſcopi ipſius regni in generali Concilio ſe agendum præmonſtraſſent: qui reuerſi, renuntiauerunt Præſuli, quæ in Galliis viderant, adÿcientes ſe nullum ſapientem Epiſcopum in regno Lotharii inueniſse, qui ad liquidum Canonicis eſset inſtitutus diſciplinis.* Quod non ſolum in Gallia, ſed per totum orbem Chriſtianũ, ex hoc apparet, quod à Caroli magni, & eius liberorum temporibus, ad Gregorium VII. pauciſſimos homines magni nominis reperias: Forte quod deſierint ſynodi celebrari, quæ ſingulis biẽniis cogebãtur, quibus Epiſcopi quæ erant publicæ diſciplinæ edocebãtur. Sed & ex ipſo Valla, quanta fuerit ignorantia, facile eſt probare. Ait enim pag. 67. & 68. in Concilium interdum admitti cæmentarios, ſi de con-

ſtructione Eccleſiarum ſit ſermo, fabros ærarios, ſi de calicibus fabricandis, cauſidicos, ſi de componendis litibus, Doctores, ſi de rebus fidei. At quemadmodum illos cæmentarios, fabros, cauſidicos, admittunt, propter illorum, qui ſunt in Concilio, circa huiuſmodi negotia imperitiam: certe & eadem ratione, Doctores ob ignorantiam circa ea, quæ ſunt fidei. Ait autem Concilium Epiſcoporum eſſe duntaxat: ergo Epiſcoporum perſtringit imperitiam circa fidei doctrinam: quæ qualiter accipi debeant, Epiſcopi qui cenſura in Richerium animaduerterũt viderint. Illud autem in ſynodis antiquioribus factum eſſe, vt Doctores adhiberentur, qui ius ſententiæ definitiuæ non haberent, nuſquam Valla probabit. Hinc neceſſario concluditur, poſterioribus temporibus ignorantiam, teſte ipſo Valla, in Eccleſiam irrepſiſſe.

VIII. DECRETA, ET SENTENTIÆ ECCLESIÆ, SVNT AVTHENTICÆ, QVIBVS IRREFRAGABILI-

TER STARE OPORTET, SVB ANATHEMATIS POENA. Hodie tamen Ignatiani, & noſtri cenſores, nouum dogma in Eccleſiam introducere conantur. Tantum enim abeſt, vt Anathema eſſe, decretis Conciliorum refragari, putent, quin voluminibus contrarium doceant, illud non tãtum licitum, ſed de fide eſſe, & laude dignum. Quod enim decernunt ſancta Conſtantienſe, & Baſilienſe, Concilia, Pontificem obedire teneri in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris, ac ſi Eccleſia poſſet errare reſpuunt. Nouũ dogma Ignatiani contra decretum Concilii Conſtantienſis, quod pronuntiat, hæreſim eſſe, Tyrannicidium probare, & in eos, tanquam in hæreticos, animaduertendum. Nam etſi Marianæ, vere Maranatha, librum, & eos qui typis mandare permiſerunt, reſpuere dicant, nihilominus inter Ignatianos nullus extat, qui cædẽ Henrici III. Regis Chriſtianiſſimi non probet, non laudet: ſed nec ſcriptores in Aphoriſmis excipio, licet tanquam

huius doctrinæ inſultores nominentur. *Felix*, inquit Leſſius, *Henricus tertius ſi iuuentæ primordiis, poſterior anni reſpondiſſet: illum tandem diademate indignum, à non paucis habitum, conſtat*. A quibus tandem? Ab eius diabolicæ doctrinæ aſſertoribus. En quemadmodum nouus homo, nebulo, ſibi regum iudicium arrogat, impudens. Sed & totius Societatis eſſe dogma, apparet 42. articulo conſtitutionum eius, *Doctrinæ differentes non admittantur, nec verbo, in concionibus, vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris: qui quidem edi non poterunt, ſine approbatione atque conſenſu Præpoſiti generalis, qui eorũ examinationem ſaltem tribus cõmittat, ſana doctrina, & claro iudicio, in ea facultate præditis*, & part. 3. cap. 1. §. 18. p. 4. c. 5. §. 4. & c. 6. O. p. 7. c, 4. §. 11. p. 8. c. 1. §. 8. & K. p. 10. §. 9. & p. 14. §. 1. Quod obſeruatũ eſt in editione Marianę. Hoc vero dogma corollariũ eſt erroneæ eorũ propoſitionis, qua aſſerũt, Pontificem poteſtatẽ habere in reges, & imperia. Addam, ſi illã propoſitionẽ Marianę hæreticã, ſecundum Canonẽ Concilii

Conſtātienſis, agnoſcunt, quare ei communicāt, aut cur inquiſitioni nō ſubiacet? Et tamen Gallus audit, ſiquidē hoc nomine Durādus cēſeri poteſt, qui legē Senatui vult præſcribere, quomodo Collegiū Claromontanum certis cōditionibus recipi debeat, in quo liberi noſtri, ceu teſta recens, hac doctrina imbuti, illius diu ſeruent odorem: & qui in Senatuſconſultum, quod vitæ Regum noſtrorum prouidet, ita excandeſcit, vt dicat, Cælum Eccleſiæ flammam attigiſſe, capiti inſiluiſſe, & ad ſacræ Confeſſionis penetralia perueniſſe. Sed aulæum tragicum dimoueto, & ad verba communia redeamus. Certe hominem atra bilis agitat, quod, deſertor, doctrinā Sorbonæ, noſtræ, immo totius orbis Chriſtiani, alūnæ, Senatū, tam ſancto, & graui Senatuſcōſulto, approbaſſe videt. Hoc illis cordoliū eſt, qui Gallias in Italiam migrare cupiūt. In illo Senatuſconſulto nihil aliud reperies, quam quod Regis noſtri vitę cautū ſit, qui immediate regnū à deo accepit, & qui Deū ſolum, Regem Regum, in temporalibus

agnoſcit, non ipſum Pontificem, Dei in ſpiritualibus duntaxat Vicarium. Nulla in illo Senatuſconſulto exomologeſis facta mentio, quam tamen ſibi ſomniat Durandus: Ea bonus vir, non ex Sorbonæ ſchola, ſed ex Sirbonide lacu, hauſit. Aliud decretum Concilii Conſtantienſis eſt aduerſus eos, qui æquiuocationibus vtuntur: quæ etiam eſt noua Ignatianorum doctrina. Æquiuocationem enim probare, & ſcriptis confirmare, nihil eſt quod magis hæreſim ſapiat: immo Sathanicã doctrinam Talmudiſtarum, teſte Hieronymo à Sancta fide, ex lib. Nedarim, cap. quatuor vota. qua illis permiſſum eſt, cum iurant alicui, vti æquiuocatione, ita vt, *Cum Iudæus*, inquit, *iurat alii, ille, qui recipit, iuranti dicit, Tu iuras Legi, & Deo, ad meum intellectum*? Hoc autem ex aduerſo pugnat, cum lege Dei, doctrina Patrum, decretis Pontificum. Mendacium enim & periurium paſſim prohibentur: itaut peierare, & polluere nomen Dei, idem ſit, Leuitic. 19. *Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita*

Digitized by Google

hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomẽ in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. c. quacumque, 22. quæſt. 5. *Nullam enim voluit Deus eſſe diſtantiam inter iuramentũ, & loquelam noſtram.* c. iuramenti, eadem quæſt. Sed & Auguſtinus in c. primum, 22. quæſt. 2. mendacium omnino vetat, etiamſi nemini noceat, & alteri proſit: ſeu etiam pro conſeruatione famæ, ſeu ad conſeruationẽ vitæ eius, qui ad mortem quæritur. Et ea eſt doctrina Scholæ Pariſienſis. Magiſter lib. 3. ſentent. diſtinct. 38. & 39. Poſtremo, audiant illi, qui Papam, vt Papam, errare non permittũt, Martinus in Bulla, quã edidit in Concilio Cõſtantienſi, ad inſtructionã Inquiſitorũ fidei, inter hæreſes hanc doctrinam cõputat, *Vtrũ credat, quod periurium ſcienter commiſſum, quacumque cauſa, vel occaſione, pro conſeruatione vitæ temporalis, propriæ, vel alterius, etiam in fauorem fidei, ſit mortale peccatum.* Ex eo autẽ illud decretum in Concilio coniicio, quod ea Bulla, ſacro approbãte Concilio, edita ſit, & quod inter hæreſes Ioannis Vui-

cleff,& Ioannis Hus,quas damnauit ſynodus, hæc erat, Nemini Chriſtiano licere ex quacumque cauſa iurare.

IX. Apoſtoli nomen,idem eſſe ac Epiſcopi, docet Petrus, Act. 1. cum Apoſtolatum Iudæ, Epiſcopatum nominat. Apoſtoli tamen nomẽ auguſtius, tum quod à Domino datum, tum quod non in certas prouincias,ſed ad totum orbẽ terrarum, ad prædicandum miſſi ſunt. Congregati in vnum cum cætera turba Chriſtianorum, in locum Iudæ Matthiam, & Ioſeph, elegerunt, & ſortem miſerunt,vt Spiritus ſanctus oſtenderet, quis acceptabilis illi eſſet, qui in Iudæ locum ſubſtitueretur. Hoc expreſſe Act. 1. Et tamen quidam aſſerunt,Petrũ collationẽ illius loci, quaſi beneficii, ſibi reſeruaſſe: Inepte.Epiſcopos per ſingulas Eccleſias conſtituebant, cõuocato Presbyterio, Paul.1.ad Timoth.cap. 4. At quod Paulus videtur Titum ſolus conſtituiſſe, ad Tit. cap. 1. id intelligendum, vt ad Timoth. 2. cap. 1. vbi dicit ſe illi manus impoſuiſſe, quod.epiſt.1.cap.

4. dixit, factum eſſe per Presbyterium, cuius caput erat, vt Apoſtolus, Act. 14. *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros.* Scripſit Apoſtolus, χειροτονήσαντες, id eſt, ſuffragiis cõſtituẽtes. Balſamon in Can. 13. Concilii Africani ait, χειροτονίαν eſſe electionem, χειροθεσίαν ordinationem. Hoc ab Apoſtolis traditum, inconcuſſe non ſolum in Eccleſia Romana, in qua ille ritus ſemper obſeruatus eſt, ſed apud omnes Chriſtianos. Euſeb. lib. 6. cap. 9. *Vbi Narciſſus ſe in locum deſertum ſubduxiſſet, ijs, qui finitimis Eccleſiis præerant, viſum fuit, vt alterum Epiſcopum ſuffragiis crearent.* Qui Narciſſus erat temporibus Antonini Pii. Cyprianus lib. 1. epiſt. 4. *Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniunt, vt Epiſcopus deligatur: quod & apud vos* (Hiſpanos) *factum videmus in Sabini, collegæ noſtri, ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de* Epiſcoporum, *qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, &* Epiſcopatus *ei deferretur, & manus ei in locum* Baſilidis *imponeretur.* Valentinianus ad Epiſcopos Mediola-

Digitized by Google

renſis prouinciæ. *Eſt vobis, vt pote ſacris, & diuinis literis inſtitutis, explorate cognitum, qualis debeat eſſe is, qui ſit ad* Epiſcopa*tum gerendum delectus*, Theodor. lib. 4. cap. 5. Quæ cum ita ſint; Valla, quod contendat electiones non eſſe iuris diuini, & naturæ, ſed Eccleſiaſtici duntaxat, pag. 41. cũ exemplis omniũ ſeculorum obruitur; exclamat, At ſunt tãtum exempla; quæ vim legis non obtinent; cum de iis nullum ſit præceptum. At quam diſſimiles ſui ſunt quidam! Nos docent, quæ a traditione Apoſtolica accepimus eiuſdem eſſe momenti, ac ea, quæ ſcripta ſunt: quod & verum eſt; & ita ſemper docuere Patres. At Valla, quæ ſcripta ſunt, non ſolum tradita, vim nullam habere vult nobis perſuadere. Quod enim ait de quadrageſima, inepte. Nam ieiunium eſt iuris & præcepti diuini: ſed quod certi dies præſcribantur, eſt iuris Eccleſiaſtici, quod pro ratione temporum mutari poteſt: Quẽadmodum eſt illud, vt cæna Domini mane, & à ieiunis fieret, baptiſmus quacunque ætate. Sed electiones eſſe iuris

diuini nihil facilius eſt probare. Deus e-
nim, licet ſpeciali iuſſu Reges conſti-
tuerit, tamen electionem à populo fieri
præcepit Deuteron. 17. Saul & Dauid
iam à Propheta vnctos, tamen Deus à
populo eligi iuſſit. Reg. 1. cap. 10. & 16.
& lib. 2. cap. 2. & 5. Quod in ſacerdoti-
bus factum eſt, Numer. 20. *Prehende*, in-
quit, *Aaron fratrem tuum, & Eleazarum fi-
lium eius, & impones eos in montem, coram
omni ſynagoga.* Quo ex loco probat Cy-
prianus epiſt. 4. electiones eſſe iuris di-
uini. Ait enim, *Coram omni ſynagoga iubet
Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit &
oſtendit, ordinationes ſacerdotales, nõ niſi ſub
populi adſiſtentis conſcientia, fieri oportere.
Et ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ om-
nium ſuffragio & iudicio fuerit examinata:
Quod poſtea ſecundum diuina magiſteria, ob-
ſeruatur in Actis Apoſtolorum.* Nec tergi-
uerſandum eſt Valla, Cyprianum vo-
luiſſe aſſerere duntaxat, electiones fa-
ctas ſine fraude, & ambitione, habere
diuinam auctoritatem, cum de ambitio-
ne & fraude, nullo modo agatur apud
Cyprianum. Nam hæc verba, Secundũ

diuina magiſteria, aliter ſonant: deinde hoc demonſtatur ex ſequentibus, quæ ſenſum Cypriani amplius aperiunt, *Propter quod diligenter de traditione diuina, & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas &c.* Sed & illud ſufficeret, quod decretum eſt in Nicæna ſynodo, c. 4. quam, vt ſacram ſcripturam, venerari Pontifices nos docent: *Epiſcopum oportet, maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in prouincia, conſtitui.* At ſi illud eſt iuris diuini, ergo & naturæ. Lex enim diuina natura conſtat, c. 1. diſt. 1. Et Paulus ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſis ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Electiones igitur ſunt iuris diuini, & naturæ, vt recte aſſerit Richerius, conſequens eſt nullo tempore præſcribi poſſe, nec quocunque priuilegio tolli, cap. cũ terra, Ext. de elect. & elect. pot. in Antiq. At falleretur, qui Pa-

Digitized by Google

pam aſſereret eſſe ſupra ius illud diuinum, & naturæ. Fateor quidem eſſe ſupra ius poſitiuum, quod & ſancta Conſtantienſe, & Baſilienſe, Concilia volunt: limitant enim decreta, quibus obedire tenetur, id eſt, de quibus non poteſt diſpenſare, cum iis ipſemet ſit obnoxius. Sed illud ius poſitiuum non extenditur ad ea, quæ ſunt à Deo, & ab Apoſtolis inſtituta. Igitur, ais, & Rex, & Papa, maxime errant, quod ſecũdum Concordata inter eos, nominatio in Epiſcopatus, & Abbatias, Regi competat: Minime. Nam, vt dixi, electiones fiebant præſente, & aſtante, populo, ita vt repudiare poſſet, quem miniſterio indignũ cognoſcebat: at populus omne ius ſuum in Regem tranſtulit: ita vt, quæ facit Rex, à populo, cuius eſt caput, & præcipuus, facta cenſeãtur. Deinde ei totius Regni cura incumbit, non populo, & in id debet potiſſimum laborare, vt quam maxime dignos ſui Imperii ſedes Epiſcopales excipiant. Et hoc obſeruatum eſt tam in lege veteri quam noua. Quos enim, aut Salomon, aut reges

ges Aſiæ, aut tetrarchæ, aut præſides, Pontifices eſſe iuſſerunt, ipſi inter Pontifices numerãtur: & quos aut Imperatores Romani, aut Reges Galliæ, aut Imperatores Germaniæ, in illud faſtigium euehi curauerunt, & ipſi pro legitimis Pontificibus habiti ſunt. Adde quod Rex omnium Eccleſiarum ſui Regni eſt fundator & patronus: ideoque in electionibus neceſſarius eſt eius conſenſus, d. cap. cum terra. cap. nobis, De iur. patronatus. Si igitur neceſſarius ſit eius conſenſus, certe aliquem admittere, vel reiicere, in eius ſitum eſt poteſtate. Nec dixeris illud ex honeſtate, non ex neceſſitate, vt nugantur Gloſſatores: quia quæ Regi iure Regio competunt, immutari à Pontificibus iura Galliæ non permittunt. Sed dicant, qui præceptum requirunt circa electiones, quomodo demonſtrabunt, vel ex ſacra ſcriptura, vel Canonibus Conciliorum, vel monimentis Patrum, aliquod extare veſtigiũ Collationis de Epiſcopatu à Papa faciẽdæ? Si illis ſufficiat negare electiones eſſe iuris diuini, & naturalis,

Digitized by Google

quî minus nobis Collationes ad Pontificem pertinere? Preſertim, cum ſit illa vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo, vt ex Canonibus Apoſtolorum, & Concilio Nicæno videre eſt. Sed hi, ſine lege, ſine Canone, ſine auctore, ſuas opiniones exoticas pro doctrina Chriſtiana nobis obiiciunt.

X. AD ALIA IVRIS SVBSIDIA. Id eſt, ad Principes ſeculares. Recte Antonius de Roſellis, Iuriſconſultus, in
1 tract. de poteſt. Pap. & Imperat. *A Deo ſunt immediate Papatus, & Imperium: & ideo Deus æternus duos conſtituit Vicarios: Vnum in ſpiritualibus, alterum in temporalibus. Et cum dicis, ergo præſupponis duos Vicarios, & ſic duo principia, & hoc eſt hæreticum, Reſponde, quod, licet Vicariatus Papæ ſit in mundo, non tamen cenſendus de mundo.* In capitul. Caroli Magni lib. 5. c 167. *Principaliter totius ſanctæ* Dei *Eccleſiæ corpus induas eximias perſonas, in ſacerdotalem, ſcilicet, & regalem, ſicut á ſanctis Patribus traditum accepimus, diuiſum eſſe nouimus.* Horum igitur, vt præcipuarum partium

totius Eccleſiæ corporis, intereſt potiſſimum, ne Eccleſia erroribus conflictetur. Et quemadmodum morbus in capite, vt membro primario, periculoſior, quod totum corpus afficit, ſic & ad eum ſanandum cura maior adhibenda eſt. *Sicut laudabile, diſcretumque eſt, reuerentiam, & honorem debitum, exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua in eis correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totũ, quod abſit, corpus incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite.* c. ſicut inquit, 2. quæſt. 7. Cum morbus occupaſſet caput Eccleſiæ in ſchiſmate, coacta ſunt Concilia, Piſanum, & Conſtantiẽſe, in quibus Patres, omnes Principes nomine Chriſti inuitauerunt, vt Pontifices ſchiſmaticos, & à Concilio Pontificià dignitate priuatos, expellerent. Ratio eſt, quia Eccleſia tela tantum habet ſpiritualia, quibus, ni vis accedat, obtemperare nemo poteſt cogi, vt in Gregor. XII. & Benedicto XI. experti ſumus, qui impune Cõcilii Piſani decreta neglexerunt. Hæc ſecuta Baſilienſis ſynodus, quoties Pon-

Digitized by Google

4. dixit, factum eſſe per Preſbyterium, cuius caput erat, vt Apoſtolus, Act. 14. *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*. Scripſit Apoſtolus, χειροτονήσαντες, id eſt, ſuffragiis cõſtituẽtes. Balſamon in Can. 13. Concilii Africani ait, χειροτονίαν eſſe electionem, χειροθεσίαν ordinationem. Hoc ab Apoſtolis traditum, inconcuſſe non ſolum in Eccleſia Romana, in qua ille ritus ſemper obſeruatus eſt, ſed apud omnes Chriſtianos. Euſeb. lib. 6. cap. 9. *Vbi Narciſſus ſe in locum deſertum ſubduxiſſet, ijs, qui finitimis Eccleſiis præerant, viſum fuit, vt alterum Epiſcopum ſuffragiis crearent*. Qui Narciſſus erat temporibus Antonini Pii. Cyprianus lib. 1. epiſt. 4. *Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniunt, vt Epiſcopus deligatur: quod & apud vos* (Hiſpanos) *factum videmus in Sabini, collegæ noſtri, ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, & Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur*. Valentinianus ad Epiſcopos Mediola-

renſis prouinciæ. *Eſt vobis, vt pote ſacris, & diuinis literis inſtitutis, explorate cognitum, qualis debeat eſſe is, qui ſit ad* Epiſcopa*tum gerendum delectus*, Theodor. lib. 4. cap. 5. Quæ cum ita ſint; Valla, quod contendat electiones non eſſe iuris diuini, & naturæ, ſed Eccleſiaſtici duntaxat, pag. 41. cũ exemplis omniũ ſeculorum obruitur, exclamat, At ſunt tãtum exempla; quæ vim legis non obtinent; cum de iis nullum ſit præceptum. At quam diſſimiles ſui ſunt quidam! Nos docent, quæ a traditione Apoſtolica accepimus eiuſdem eſſe momenti, ac ea, quæ ſcripta ſunt: quod & verum eſt; & ita ſemper docuere Patres. At Valla, quæ ſcripta ſunt, non ſolum tradita, vim nullam habere vult nobis perſuadere. Quod enim ait de quadrageſima, inepte. Nam ieiunium eſt iuris & præcepti diuini: ſed quod certi dies præſcribantur, eſt iuris Eccleſiaſtici, quod pro ratione temporum mutari poteſt: Quẽadmodum eſt illud, vt cæna Domini mane, & à ieiunis fieret, baptiſmus quacunque ætate. Sed electiones eſſe iuris

diuini nihil facilius eſt probare. Deus enim, licet ſpeciali iuſſu Reges conſtituerit, tamen electionem à populo fieri præcepit Deuteron. 17. Saul & Dauid iam à Propheta vnctos, tamen Deus à populo eligi iuſſit. Reg. 1. cap. 10. & 16. & lib. 2. cap. 2. & 5. Quod in ſacerdotibus factum eſt, Numer. 20. P*rehende*, inquit, A*aron fratrem tuum*, *&* E*leazarum filium eius*, *& impones eos in montem*, *coram omni ſynagoga*. Quo ex loco probat Cyprianus epiſt. 4. electiones eſſe iuris diuini. Ait enim, *Coram omni ſynagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtendit, ordinationes ſacerdotales, nō niſi ſub populi adſiſtentis conſcientia, fieri oportere. Et ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata: Quod poſtea ſecundum diuina magiſteria, obſeruatur in Actis Apoſtolorum*. Nec tergiuerſandum eſt Valla, Cyprianum voluiſſe aſſerere duntaxat, electiones factas ſine fraude, & ambitione, habere diuinam auctoritatem, cum de ambitione & fraude, nullo modo agatur apud Cyprianum. Nam hæc verba, Secundū

diuina magiſteria, aliter ſonant: deinde hoc demonſtatur ex ſequentibus, quæ ſenſum Cypriani amplius aperiunt, *Propter quod diligenter de traditione diuina, & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas &c.* Sed & illud ſufficeret, quod decretum eſt in Nicæna ſynodo, c. 4. quam, vt ſacram ſcripturam, venerari Pontifices nos docent: *Epiſcopum oportet, maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in prouincia, conſtitui.* At ſi illud eſt iuris diuini, ergo & naturæ. Lex enim diuina natura conſtat, c. 1. diſt. 1. Et Paulus ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſis ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptū in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Electiones igitur ſunt iuris diuini, & naturæ, vt recte aſſerit Richerius, conſequens eſt nullo tempore præſcribi poſſe, nec quocunque priuilegio tolli, cap. cū terra, Ext. de elect. & elect. pot. in Antiq. At falleretur, qui Pa-

pam aſſereret eſſe ſupra ius illud diuinum, & naturæ. Fateor quidem eſſe ſupra ius poſitiuum, quod & ſancta Conſtantienſe, & Baſilienſe, Concilia volunt: limitant enim decreta, quibus obedire tenetur, id eſt, de quibus non poteſt diſpenſare, cum iis ipſemet ſit obnoxius. Sed illud ius poſitiuum non extenditur ad ea, quæ ſunt à Deo, & ab Apoſtolis inſtituta. Igitur, ais, & Rex, & Papa, maxime errant, quod ſecũdum Concordata inter eos, nominatio in Epiſcopatus, & Abbatias, Regi competat: Minime. Nam, vt dixi, electiones fiebant præſente, & aſtante, populo, ita vt repudiare poſſet, quem miniſterio indignũ cognoſcebat: at populus omne ius ſuum in Regem tranſtulit: ita vt, quæ facit Rex, à populo, cuius eſt caput, & præcipuus, facta cenſeãtur. Deinde ei totius Regni cura incumbit, non populo, & in id debet potiſſimum laborare, vt quam maxime dignos ſui Imperii ſedes Epiſcopales excipiant. Et hoc obſeruatum eſt tam in lege veteri quam noua. Quos enim, aut Salomon, aut reges

ges Aſiæ, aut tetrarchæ, aut præſides, Pontifices eſſe iuſſerunt, ipſi inter Pontifices numerãtur: & quos aut Imperatores Romani, aut Reges Galliæ, aut Imperatores Germaniæ, in illud faſtigium euehi curauerunt, & ipſi pro legitimis Pontificibus habiti ſunt. Adde quod Rex omnium Eccleſiarum ſui Regni eſt fundator & patronus: ideoque in electionibus neceſſarius eſt eius conſenſus, d. cap. cum terra. cap. nobis, De iur. patronatus. Si igitur neceſſarius ſit eius conſenſus, certe aliquem admittere, vel reiicere, in eius ſitum eſt poteſtate. Nec dixeris illud ex honeſtate, non ex neceſſitate, vt nugantur Gloſſatores: quia quæ Regi iure Regio competunt, immutari à Pontificibus iura Galliæ non permittunt. Sed dicant, qui præceptum requirunt circa electiones, quomodo demonſtrabunt, vel ex ſacra ſcriptura, vel Canonibus Conciliorum, vel monimentis Patrum, aliquod extare veſtigiũ Collationis de Epiſcopatu à Papa faciẽdæ? Si illis ſufficiat negare electiones eſſe iuris diuini, & naturalis,

M

quî minus nobis Collationes ad Pontificem pertinere? Preſertim, cum ſit illa vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo; vt ex Canonibus Apoſtolorum, & Concilio Nicæno videre eſt. Sed hi, ſine lege, ſine Canone, ſine auctore, ſuas opiniones exoticas pro doctrina Chriſtiana nobis obiiciunt.

X. AD ALIA IVRIS SVBSIDIA. Id eſt, ad Principes ſeculares. Recte Antonius de Roſellis, Iuriſconſultus, in
1 tract. de poteſt. Pap. & Imperat. *A Deo ſunt immediate Papatus, & Imperium: & ideo Deus æternus duos conſtituit Vicarios: Vnum in ſpiritualibus, alterum in temporalibus. Et cum dicis, ergo præſupponis duos Vicarios, & ſic duo principia, & hoc eſt hæreticum, Reſponde, quod, licet Vicariatus Papæ ſit in mundo, non tamen cenſendus de mundo.* In capitul. Caroli Magni lib. 5. c 167. *Principaliter totius ſanctæ* Dei *Eccleſiæ corpus induas eximias perſonas, in ſacerdotalem, ſcilicet, & regalem, ſicut á ſanctis Patribus traditum accepimus, diuiſum eſſe nouimus.* Horum igitur, vt præcipuarum partium

totius Eccleſiæ corporis, intereſt potiſſimum, ne Eccleſia erroribus conflictetur. Et quemadmodum morbus in capite, vt membro primario, periculoſior, quod totum corpus afficit, ſic & ad eum ſanandum cura maior adhibenda eſt. *Sicut laudabile, diſcretumque eſt, reuerentiam, & honorem debitum, exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua in eis correctione indigent, nulla diſsimulatione poſtponere, ne totũ, quod abſit, corpus incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite.* c. ſicut inquit, 2. quæſt. 7. Cum morbus occupaſſet caput Eccleſiæ in ſchiſmate, coacta ſunt Concilia, Piſanum, & Conſtantiẽſe, in quibus Patres, omnes Principes nomine Chriſti inuitauerunt, vt Pontifices ſchiſmaticos, & à Concilio Pontificià dignitate priuatos, expellerent. Ratio eſt, quia Eccleſia tela tantum habet ſpiritualia, quibus, ni vis accedat, obtemperare nemo poteſt cogi, vt in Gregor. XII. & Benedicto XI. experti ſumus, qui impune Cõcilii Piſani decreta neglexerunt. Hæc ſecuta Baſilienſis ſynodus, quoties Pon-

tifex obedire contumaciter decretis cir-
ca fidem , & reformationem Eccleſiæ ,
contempſerit, ad principes ſeculares re-
2 currẽdum eſſe ait. Primis Eccleſiæ tem-
poribus, & Imperator à Pontifice ar-
guebatur,& viciſſim Papa accuſatus co-
ram Imperatore , cauſam dicebat : &
hæc in ſynodis. Nam Pontifices anti-
quitus nuſquam excommunicaſſe Im-
peratores,niſi in ſynodis,certum eſt. Sic
etiam, cum Pontifex reus fiebat, ſyno-
dum Imperator congregabat, & cum
ſynodo cognoſcebat. Accuſatus Sixtus
III. coram Valentiniano, in ſynodo ſe
purgauit: Leo III. coram Carolo Ma-
gno & ſynodo: Paſchalis coram Legatis
Imperatoris: Leo IV. coram Lothario:
Ioannes XII. ab Ottone, in ſynodo,
Põtificatu priuatus eſt. Secus in crimine
læſæ Maieſtatis. In veteri lege, Abiathar
ſacerdotio priuatus eſt à Salomone:
in noua Syluerius, ſine ſynodo, à Iuſti-
niano in exilium actus, Procopius lib.
I. de bello Gotth. Ioannes I. à Theode-
rico carceris afflictione peremptus. Sed
& olim de ſchiſmate cognoſcebant Im-

peratores: Honorius inter Bonifacium i. & Eulalium: Theodericus inter Symmachum & Laurentium: Exarchus inter Paſchalem & Sergium: Ottho. III. inter Ioannem XVII. & Gregorium V. Henricus III. inter Benedictum IX. Syluestrum III. & Gregorium VI. Henricus IV. inter Alexandrum & Cadolum. Poſterioribus vero temporibus, hoc negotium ſynodis dimiſſum. Quod ſi ſynodus cogi non poſſit, certe multi ad ius commune, & ad vim, recurrendum eſſe aſſerunt, ex c. ſi quis pecunia, 79. diſtinct. Antonius de Roſellis eod. tract. *Si Concilium haberi non poteſt, tunc ſeculares Principes & omnes Chriſti fideles, poßunt inſurgere contra ipſum, & eum perſequi tanquam Antichriſtum, & à Papatu expellere. Nam ſi licet occidere hoſtem patriæ, quanto magis Papam hæreticum, vel Apoſtaticum, declaratum, vel non declaratum, quando non eſt, nec eße poteſt, iudex qui declaret, qui poteſt à quocumque Chriſti fideli compeſci, præſertim à Regibus & Principibus ſecularibus, qui volunt peccatam eſſe matrem Eccleſiam, vnde ſpiritualiter nati ſunt.*

Ex quibus concluditur, quod Papa hæretico, vel Apoſtatico exiſtente, etiam occulto, licet ſubditis ſcientibus, ab eo recedere, etiam nulla declaratione præcedente, & poteſtati eius ſe ſubſtrahere, ne eis auferatur defenſio naturalis, vt dixi in illo articulo ſupra, an liceat Papæ legem facere, ne de hæreſi arguatur: vbi dixi, quod contra Papam populi poßunt inſurgere, per Canonem, ſi audieris, 23. quæſt. 5. vbi dicitur de Matthatia, quod interfecit immolantem Idolis *in ara* Dei: *feciſſe enim illud iuſte credendum eſt, quod iudex non erat, qui puniret tale ſcelus.* Hæc Antonius, quamuis maximus Pontificiæ auctoritatis aſſertor: quem tamen hoc nimio zelo dixiſſe puto. Sufficere enim id videtur quod Eccleſia Gallicana, tempore ſchiſmatis decreuerat, de neutralitate. Quæ doctrina à Concilio Lateranenſi ſub Iulio II. petenda eſt: quo decretum eſt, Pontificis, ſimoniace electi, nullam eſſe electionem, & nullam facultatem tribui in temporalibus & ſpiritualibus: ita vt cuiuis liberum ſit, etiam ſine ſententia Concilii ei ſine peccato non obtemperare. Quod ſi ſingulis

decenniis ſecũdum decreta ſanctorum Conciliorum Conſtãtienſis, & Baſilienſis, ſynodi cogerentur, certe ad extrema illa nullus Chriſtianus adigeretur. At quam ſoli ſibi ſapiunt, qui illud fieri non poſſe aſſerunt, & ſuam opinionem totius Eccleſiæ vniuerſalis ſentẽtiæ præferunt: cum non iis rationibus, quas ſibi fingunt, in multos annos hodie Concilia protrahuntur, ſed propter reuocationes, tranſlationes, aut alia impedimenta, quæ obtrudunt, quoties de reformatione Eccleſiæ, tam in capite, quã in membris, agendum eſt. Qui hoc neſcit, hiſtoriam Conciliorum ſe neſcire fateatur. Concilium Tridentinum inchoatum anno 1545. tranſlatum eſt Bononiam anno 547. & 551. renouatum Tridenti: iterum reuocatum, & denuo inceptum anno 562. At ſexdecim actiones Chalcedonenſis Concilii intra viginti dies celebratas eſſe, aut ipſi dolo diſſimulant, aut inepte ignorant: & Conſtantinopolitanæ quintæ ſynodi quinque actiones decem diebus eſſe abſolutas. Quid quod & Conſtantienſis

ipſa ſynodus intra duos ãnos & quatuor menſes celebrata eſt, in qua tres Pontifices priuati Pōtificatu, hereſes Vuiclef, & Hus, damnatæ: & in legationibus ad Pontifices, & profectione Imperatoris in Hiſpaniam, multi dies conſũpti. Verum longe diuerſa ſunt Concilia priſci temporis & ea quæ nunc fiunt. Nam in illis quę Patribus iuſta & recta videbantur, ſecundum quod Spiritus ſanctus eis dabat eloqui, pronuntiabant: at in his ſuper vnaquaque re expectanda eſt reſponſio à Pontifice Romano, qui ſi abeſt, in his multum teritur tẽporis: Quod factum in Concilio Tridẽtino nemo eſt
4 qui ignoret. Sed ad rem. Ex his quæ ſuperius diximus videre eſt, quam longe diſtet ea quæ in Pontifices fit animaduerſio, & ea quæ à Pontifice in reges & principes. Principes in Papam, ſynodi auctoritate fulti, poſſunt vi & armis experiri, quibus ea dedit portare Deus: Papæ autem poteſtate Clauium vti, &
5 fulminibus excommunicationum Principes impetere, quæ tela ſunt ſpiritualia duntaxat, vt docet Magiſter lib. 4.

Digitized by Google

ſent. diſtinct. 8.& 37. quarum vires, non ad id extenduntur, vt Imperio eos priuare poſſint, vt nec cæteros rerum ſuarum dominio, ſed tantum vt dentur ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini, ad Corinth. 5. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 19. *Homines in remiſsionem peccatorum miniſteriũ ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis exercent.* Cenſura Eccleſiaſtica non tollit iura naturalia, & Ciuilia, vt penæ ſeculares. At nihil eſt tã naturale, quã vt res ſua cuilibet illibata permaneat, quæ sũt Cæſaris, Cæſari remaneant: Nabot, poſſideat avitam vineam: filiæ Salphaat ad ſucceſſionem paternam admittantur. Nec excommunicatio impedit quo minus quis experiri poſſit c. intelleximus, Extr. de Iudic. Nec quiſquam ſanus dixerit, excommunicationes, quæ quotidie ab Epiſcopis fulminantur, aliquẽ bonis ſuis exuere: vſus enim quotidianus nos docet contrarium. At quî magis in reges obtineat nemo probare poteſt, vt Pontifices per excommunicationem poſſint reges paternis & hæ-

reditariis regnis deturbare. Æqualis enim effectus excommunicationis in reges, ac in priuatos, vt æque ſumus Chriſtiani, vno baptiſmo baptiſati. Sed nec Pōtificii fatebūtur hoc ius ad quēlibet Epiſcopū pertinere. Dicunt enim reges ſubiici ſummo Pontifici, nō cuilibet Epiſcopo. At ſi cenſura Epiſcopi non priuat regem Imperio, nec etiam Pontificis cēſura. Nam vt in ſacramentis, Corpus Chriſti à Parœco conſecratum, eiuſdem eſt dignitatis, ac ſi eſſet à Pontifice: ſic & excommunicatus ab vno Epiſcopo, non minus eſt excommunicatus, quam ſi eſſet à ſummo Pontifice. Nam iuxta veterem diſciplinam, à Patribus Carthaginenſibus deſcriptã, epiſtola ad Cæleſtinum Papam, nullus Epiſcoporum eum recipere poteſt, qui ab alio Epiſcopo eſt excommunicatus. Sed nec vllus poteſt eſſe pro parte excluſus à Communione, & pro parte admiſſus, cum Eccleſia ſit Corpus Chriſti, qui ſi in aliqua corporis parte admitteretur, non poſſet dici à corpore excluſus: & finis excommunicationis eſt à ce-

lo excluſio: à quo non minus repelluntur, qui ab vno Epiſcopo, quam qui à Romano Pontifice, excommunicantur. Etenim excommunicatio non recipit plus, nec minus: At ſi excommunicatio à Papa, & ab Epiſcopo, ſit eiuſdem momenti, & ab Epiſcopo excommunicatio neminem priuat bonis ſuis, certe nec etiam à Pontifice Imperatorem Imperio. Arcadius excommunicatus ab Innocentio, Imperio deiectus nõ eſt: nec Leo à Gregorio II. nec Lotharius ab Adriano. Cum igitur cenſura Eccleſiaſtica eo vires ſuas non extendat, certe ſi hoc ſummo Pontifici competat alio iure, quam Clauium neceſſe eſt. At enim, vel ſcriptura expreſſa, vel per conſequentiam. Expreſſa nul- 6
la eſt: At tantum abeſt, quin Abiathar magno Sacerdotio à Salomone rege priuatus eſt, & ab illo ipſo Sadoc in locum eius ſuffectus. 3. Reg. cap. 2. Per conſequentiam autem non liquet. Etenim, quæ de duobus gladiis à Luca dicuntur, huc trahere ridiculum eſt, cum nec illi duo gladii ſint ſoli Petro attri-

buti: ita vt, cuilibet Epiſcopo, vt Apoſtolorum ſucceſſori, idem ius eſſet. Abſurdius dictum Hieremiæ, Ecce cõſtitui te hodie ſuper reges & regna, cum hoc myſtice dictum ſit, nec ipſe vllum regem regno priuauerit. Sed nec illud ad Pontificem referri poteſt, cum Hieremias nuſquam Pontifex fuerit. Abſurdiſſime vero ex ſimilitudine ſolis & lunę, huius ſeculare Imperiũ, illius Eccleſiaſticum repræſentantur: cum ſi illud verum eſſet, & in legę Moſaïca obtinuiſſet: quod ex Salomone ſupra obſeruatum non fuiſſe docuimus: & in primitiua Eccleſia cũ ex Iuſtiniano, & Theoderico contrarium demonſtretur & ex Henrico II. qui Gregorium VI. ob imperitiam priuauit, & Clementem II. ſubſtituit: impiiſſime, & non ſine blaſphemia, quod dixerit Chriſtus, Omnis poteſtas mihi data eſt, in cælo, & in terra, cum hoc ſoli Chriſto, Deo, & Regi regum conueniat, quicquid dicat Gloſ. in Extrauag. vnam ſanctam. *Non videretur Dominus diſcretus fuiſſę, vt cum reuerentia eius loquar, niſi vnicum poſt ſe talem*

vicarium reliquiſset, qui hæc omnia poſſet. Os impudens, & non tolleranda blaſphemia! Et hæc typis mandari permittuntur, & nomen auctoris & typographi libere præmittitur. At libri eorum, quibus candor cordi eſt, ſtatim improbantur: quippe mendacium amicitiam concinnat, veritas odium. Si enim veritatis vindices forte reperiantur, qui liberiori oratione eam cõmendauerint, ſtatim, aut cenſura notari, aut gradu deiici, aut violato iure gentium carceri mancipari, aut extremo ſupplicio affici iubentur. Hæc cauſa eſt, ô cenſores, cur & nomen auctoris, & typographi, ſępius reticeantur. Sed ad rem. Quod illud ex Paralip. 2. cap. 24. probare nituntur, quod Ioiada Pontifex, Ioas in regium faſtigium euehi curauit, fruſtra ſunt. Hoc enim Ioiada fecit, non tanquam Pontifex, ſed tanquam leuir. Soror enim Ioas nupſerat Ioiadę Pontifici: idque ſatis ex contextu hiſtoriæ apparet. Et quod dictum eſt de Prophetis circa reges Iſrael: Hoc, non vt Pontifices, qui nunquam Pontifices fuerunt, ſed

tanquam Prophetæ, iuſſu Dei expreſſo faciebant. Sed & certiſſimum eſt, hoc ius Petrum nunquam ſibi vſurpaſſe, nec innuiſſe; vel ſibi, vel ſuis ſucceſſoribus competere. Optatus Mileuitanus lib. 3. *Non eſt ſuper Imperatorem, niſi ſolus Deus.* Deinde probat eum qui ſe ſupra Imperatorem extollit, ſe, vt Deum, non hominem exiſtimare, quod eſt à Chriſtiana religione alieniſſimum. At dices hoc iure Pontifices vſos à Gregorio. VII. Nam ab eo Henricus IV. deinde ab aliis Pontificibus Henricus V. Fridericus. I. & II. Philippus & Ludouicus Imperio priuati ſunt. Fateor hoc Pontifices tentaſſe, ſed, Dei nutu, hoc nunquam perfeciſſe. Hi enim viriliter Pōtificum fulminibus ſeſe oppoſuerunt. Nec enim hoc ius ad ſummum Pontificem pertinere vllo modo probare poſſunt, ſiue directe dicant, ſiue indirecte, in ordine ad ſpiritualia, niſi per iura Pontificalia, quibus, in illis, nulla eſt adhibēda fides, cum nullus in ſua cauſa iudex eſſe poſſit. Immo ex Anathemate Henrici IV. neceſſario contrarium probatur. Ver-

ba enim Chriſti ſunt æterna & immutabilia. Dedit autem Claues, vt quæ ligarentur in terris, eſſent ligata in cælis. At quod Gregorius ligauit in terris, nõ fuit ligatum in cælis. Rodolphus enim, ſecundnm verba Anathematis, non fuit in regnũ ſublimatus, ſed ab Henrico victus, ſuæ infidelitatis pœnas dedit, & verſa eſt benedictio, in maledictionem. Igitur eam poteſtatem non habet Pontifex, & quæ Chriſtus dixit de Clauibus, ad ſecularia non extenduntur. Sic nec ſacramēta ſubditorum erga reges ſoluere poteſt: Sunt enim iura naturalia, & diuina: nec ſtatuere, vt filius patri obedientiam & honorem non exhibeat: nec ſoluere legem Chriſti, & Apoſtolorum. qui regibus obedientiam, & ſubiectionem, imperant: quia ſubiectio tanti eſt, vt neceſſitas vocetur ab Apoſtolo Rom. 13. ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, inquit, neceſſitas, ſubiectos eſſe: quam neceſſitatem, & ad conſcientiam refert: ita vt Papa eam neceſſitatem, quæ eſt iuris diuini, & naturæ, infringere nullo modo queat: alias iudicabit quod ex

natura eſt præputium, Rom. 2. Et hæc doctrina Eccleſiam infecit ab eo duntaxat tempore, quo Papæ iſti regum numerum adſciti ſunt; vt metuendum ſit, ne veteres Papæ, qui hanc poteſtatem ſibi arrogauerunt, telis ſpiritualibus vti voluerint; ad ſuum regnum terenum extollendum. Sed quoties Eccleſia Romana Imperia & Regna ſomniabit, ex Auguſt. Typus cæleſtis Hieruſalem dici non poteſt, lib. 14. cap. 28. & vlt. de Ciuitate. *Fecerunt*, ait, *ciuitates duas amores duo: terrenam ſcilicet, amor ſui, vſque ad cōtemptum Dei: cæleſtem amor Dei vſque ad contempum ſui. Denique illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur: Illi in principibus eius, dominandi libido dominatur, in hac ſeruiunt inuicem in caritate, & præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando*, Conſulendo dixiſſe notandum eſt maxime, quod Richerius dixit, Suaſiue, & directiue.

XI. CAPVT MINISTERIALE. Caput eſſentiale Eccleſiæ Chriſtus eſt. Paulus ad Ephei. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Cum igitur Chriſtus ſit caput eſſentiale, & primarium, neceſſe eſt, vt eius vicarius ſit caput miniſteriale, & ſecundarium: Eccleſia enim non eſt biceps, nec duo capita eſſentialia admittere poteſt. Si enim duo eſſent capita eſſentialia, eiuſdem eſſent dignitatis, quod fieri non poteſt. Prorex non eſt rex, nec legibus ſuis, ſed regis imperat: ſic nec Papa Chriſtus eſt, nec legem dedit, ſed Chriſtus, & Chriſti, non ſuis legibus, viuit. Hinc vocat ſynodus Papam Caput miniſteriale: quem etiam iuris Canonici Conſulti vocant, Inſtrumentale: & recte. *Inſtrumentorum*, inquit Ariſt. lib. 1. Politic. cap. 3. *quædam animata ſunt, quædam inanimata. Inanimata, velut clauus nauis, animata, velut qui clauum regit. Nam miniſter locum inſtrumenti obtinet*. Ita qui totius Eccleſiæ clauum tenet, recte inſtrumentum, & caput inſtrumentale, dici poteſt. Vides ergo quid ſit criminis, vocare Pontificem caput miniſteriale, & inſtrumentale, cum idem ſit miniſter, & inſtrumentum vi-

Digitized by Google

uum. Paulus, *Miniſteriorum diuiſiones ſunt*, inquit, *ſed idem Dominus*, & *ex quo compactum eſt corpus totum*, & *connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis.* Hinc, videre eſt, quemadmodum in corpore, ſic & in Eccleſia, diuerſos eſſe proportionatos, & ſubordinatos, ad inuicem miniſteriorum gradus. Idem
2 dicimus de Claue. Chriſtus enim Clauem Petrum non cõſtituit eſſentialem, ipſe enim eſt Clauis eſſentialis, Clauis Dauid, quæ claudit, & nemo aperit, Iſaiæ. 22. Apocal. 3. ſed conſtituit eum, & cæteros Apoſtolos, Claues miniſteriales. Nec enim earũ exercitium dedit eis definitiue, hoc enim ſoli Chriſto cõuenit: ſed promittit ratũ habiturum in cælo, quod ſoluerint miniſterialiter in terra, vt ſui vicarii. Elegantiſſime in epiſtol. ad Iacobum, fratrem Domini, Epiſcopi vocantur Claues Eccleſiæ: vt recte dicamus, & Chriſtum cæli Clauem, & Apoſtolos Eccleſiæ Claues, per quorum miniſterium ad Clauem cæli peruenire poſſumus. Sic dicendum
3 de fundamento, & petra. Paul. ad Co-

rinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Chriſtus eſt fundamentum eſſentiale, & primarium, fundamentum fundamentorum: Petrus autem miniſteriale, & ſecundarium. Gloſ. ordin. in illud Matth. Et ſuper illam petram ædificabo, &c. *Ita tamen*, inquit, *Vt mihi retineam fundamenti dignitatem: ſuper me ordinabis lapides mundos, & abijcies leproſos.* Auguſt. in Pſal. 86. *Noueritis quia fundamentum, Chriſtus, & primum, & maximum. Fundamentum, inquit Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus* Ieſus: *Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apoſtoli, & quomodo fundamentum Chriſtus Ieſus, quo vlterius nihil eſt? Quomodo putamus, niſi quemadmodum aperte dicitur, ſanctus ſanctorum, ſic figurate, fundamentum fundamẽtorum? Si ergo ſacramenta cogites, Chriſtus ſanctus ſanctorum: ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus paſtor paſtorum: ſi fabricam cogites Chriſtus fundamentum fundamentorũ.* Similiter & Chriſtus ſolus eſt Eccleſiæ ædificator eſſentialis, & primarius,

4 Apoſtoli ædificatores miniſteriales, & ſecundarii. Paulus, *Adiutores Dei ſumus, Dei ædificatio eſtis. Secūdum gratiā Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus*, &c. Ecce vocat Eccleſiā, Dei ædificationē, & Apoſtolos, ædificatores cū Chriſto, & Chriſti adiutores: qui quidem plantant, rigant, ædificant, ſed eſt Dominus qui, vt ædificator eſſentialis, incrementum dat. Pſal. 126. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* Vterque ædificat, ſed vnus eſſentialiter, alter miniſterialiter. Vere Chriſtus architectus, Apoſtoli autem operarii, & materiarii. Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Auguſtinus Iuſtinianus, vir doctiſſimus, notat verbum Hebraicum ſonare filum, ſiue lineam, eo intellectu, quo linea proprie ſignificat filum illud, quo materiarii, & operarii, vtuntur, ad ſignandam materiam. Sic & Chriſtus dicitur paſtor eſſentialis. Ego *ſum*, inquit, *paſtor bonus*,
5 *qui animam pono pro ouibus meis.* Petrus paſtor miniſterialis, & ſecundarius: vnde Chriſtus dixit, *Paſce oues meas.* Oues

enim ſunt Chriſti, non Petri; quemad-
modum ſupra, ædificatio eſt Dei, non
Petri. Idem & de oſtio. Chriſtus enim 6
eſt oſtium eſſentiale, Apoſtoli autem
miniſterialia. Auguſt. ſuper eodem
Pſal. 86. *Quare ſunt portæ? quia per ipſos
intramus ad regnum Dei. Prædicant enim
nobis, & cum per ipſos intramus, per Chri-
ſtum intramus: Ipſe eſt enim ianua. Et cum
dicuntur duodecim portæ Hieruſalem, & v-
na porta Chriſtus, & duodecim portæ Chri-
ſtus, quia in duodecim portis Chriſtus.*

XII. CLAVES LIGANDI ET SOLVENDI. Duæ ſunt Claues: vna quæ ſoluit, altera quæ ligat. Hanc, Cẽſuram vocamus Eccleſiaſticam: cuius duæ ſunt ſpecies, maior, & minor. Poſterioris effectus, vt Chriſtianum à perceptione ſacramentorum arceat: Prioris, vt etiam à communione, & cœtu fidelium. *Si quem ſub hac forma verborum (illum excommunico) vel ſimili, à iudice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt, eum, non tantum minori, quæ à perceptione ſacramentorum, ſed etiam maiori excommu-*

nicatione, quæ à communione fidelium, ſeparat, eſſe ligatum, cap. ſi quem, Extr. de ſentent. excom. quibus pœnis nihil eſt horribilius: ſeparant enim hominem à corpore Chriſti: Et quemadmodum Clauis ligans hominem, à Chriſto ſeparat, & ab hæreditate Dei expellit, ita ſine Claue ſoluẽte, in illam hæreditatem non poſſumus admitti. Clauis enim ea eſt Chriſtus. Igitur qui eſt, extra Clauem, eſt extra Chriſtum, & qui extra Chriſtum, non poteſt eſſe cohæres Chriſti. Hinc dicendum eſt, neminem poſſe ingredi cœlum, niſi per eos, quibus commiſſa eſt Clauis, ideſt, per
1 Eccleſiã. Finis autem ſoluentis eſt peccatorum remiſſio, per quam nobis cœlum reſeratur. Paul. Tit. 3. *Vt iuſtificati gratia Chriſti, hæredes ſimus, ſecundum*
2 *ſpem vitæ æternæ?* Subiectum vtriuſque anima. Hebr. vlt. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Hinc eſt, quod quando Chriſtus dixit, Quodcũque ſolueritis ſolutum, &c. de peccatorum remiſſione, & retentio-

ne, intelligendum eſt. Gloſ. interlin. in illud Matthæi, *Id eſt, quemcumque indignum remiſsione iudicaueritis dum viuit, indignus apud Deum iudicabitur: & quemcumque ſoluendum iudicaueritis dum viuit, remiſsionem peccatorum conſequetur à Domino*. Vnde & cum Chriſtus dedit Claues regni cœlorum, & dixit, Quodcumque ligaueris, ſemper de cœlo loquitur, vt doceamur totam Clauium poteſtatem verſari circa animam, vt excludatur, vel inducatur in cœlum, & quod Chriſtus apud Matthęum dixit indefinite, apud Ioannem dixit definite, de peccatorum remiſſione, & retentione. Claues autem non extenduntur vltra fines & ſubiectum: igitur non ad temporalia, vt ſupra demonſtrauimus.

XIII. OMNES ARGVMENTATIONES QVÆ POSSVNT FIERI IN CONTRARIVM. Tria ſunt potiſſimum, quæ ad confirmandam Pontificis auctoritatem maxime facere videntur. Matthęi. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Et tibi dabo claues regni*

cælorum, *& quodcumque ſolueris &c.* Et Ioannis vlt: *Paſce agnos meos*, *paſce oues meas.* Deinde adducitur c. nemo. 9. quæſt. 3. quo aſſeritur, Papam eſſe omnium iudicem, & à nemine poſſe iudicari.
1 Satis ſupra docuimus, verba quæ ſunt apud Matthęum, Eccleſiæ dicta, non ſoli Petro: ita vt ſi illis verbis alicui principatus tribui debere videatur, non Papæ, ſed Eccleſiæ tribuendus ſit. Sed ex ipſis verbis liquido conſtat, quo ſenſu ſint accipienda. Non enim dixit, Super hanc petram principatum tuum conſtituam, ſed, Ædificabo Eccleſiam meam. Eccleſiam enim accipere pro primatu aut principatu ridiculum. Eccleſia in Collecta vigiliæ Petri & Pauli, ſic Deum adorat, *Nullis nos permittas perturbationibus concuti*, *quos in Apoſtolicæ confeßionis petra ſolidaſti*: qua notione Petra potius, confeſſionem fidei, quam principatum, ſignificare videtur. Ædificare autem verbum, huic principatui accommodare, eſt ab omni ratione alienum. Nam ſi ex eo velimus alicui principatum tribuere, quod ædificat, certe

ille principatus conuenit Chriſto ſoli, qui eo loci dicitur ædificare Eccleſiam ſuam. Quod ſi ex aliis locis probes, & Papam, vt Petri ſucceſſorem, ædificare, certe ex iiſdem locis, & cæteros Apoſtolos ædificare, cõperies: ita vt poſſet quilibet, vt ædificator, ſibi principatum vendicare. Quod autem Chriſtus dixerit, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ſolueris, &c. ex verbis ſatis conſtat de principatu non agere, ſed de peccatorum remiſſione, per quã in cœlum nobis patet aditus. Quantum 2
attinet ad locum Ioannis, Paſce oues meas, certe & hoc intelligendum eſt de Eccleſia, vt & cætera, ſcilicet, Tu es Petrus, & Quodcumque ſolueris. Nam quemadmodum non eſt ſolus Petra, nec ſolus habet Claues, ſic nec ſolus paſtoris officio fungitur, vt ait Ambroſius in Paſtorali, poſt trinam interrogationem Chriſti, Amas me, traditas Petro oues, & omnibus Apoſtolis contraditas. Petri vlt. *Paſcite gregem ſuper quem vos conſtituit Dominus.* Cyprianus de vnit. Eccleſ. *Paſce oues meas, & quamuis*

Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, &c. Baſilius de vita ſolitaria cap. 23. *Hoc ab ipſo Chriſto docemur, qui Petrum poſt ſe paſtorem Eccleſiæ ſuæ conſtituit: Petre, inquit, amas me, paſce oues meas: & conſequenter omnibus paſtoribus eãdem poteſtatem tribui, cuius ſignum eſt, quod omnes ex æquo, & ligant, & ſoluunt*. At quod dicit Durandus, Eccleſiam pro Papa paſtore Eccleſiæ continuo poſtulare, ita vt eum, vt ſolũ paſtorem, agnoſcat: Quid igitur in præfationibus Apoſtolicis ſibi vult Eccleſia, cum dicit, *Vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios, eidem contuliſti præeſſe paſtores?* Sed quomodo ſolus poteſt eſſe paſtor, qui eſt de grege, & paſtore indiget? & quomodo illi Claues ſoli datæ ſunt, in quem aliquando Claues exercentur? Nam ſi paſtoris officiũ eſt, ſoluere, & ligare, vt ait Baſilius, certe ille, cui Pontifex confitetur, in eum paſtoris officio fungitur, & Claues exercet. Gloſ. in c. nemo, 9. quæſt. 3. *Cum ſubmittit ſe Confeſſori ſuo, tenetur ei parere, & ligabit eum ſententia illius*. Rex non eſt abſolutus ſi

ai alius imperat, ſed potius is, qui impe-
rat: Sic Papa, nec eſt abſolutus paſtor,
nec abſolutus Clauium princeps, ſed
Eccleſia, quæ eum paſcit, & à peccatis
ſoluit, vi Clauium. Adde, ſi illi eſſen-
tialiter, vt vult Durandus, Claues com-
petunt, certe Papæ Confeſſionarius à
Papa poteſtatem habet ſoluendi: At
qui per alium facit, per ſeipſum facere
videtur: conſequens eſt, vt ipſemet, à
ſeipſo, abſolutionem conſequeretur:
quo quid abſurdius? Inſulſa autem eſt
opinio eorum, qui exuunt aliquando
Papam Papatu: & dicunt, hoc tanquam
quilibet, illud tanquam Papa. Et ea eſt
inter hæreſes Ioannis Vuicleff, & Ioan-
nis Hus, qui aſſerebant Papam, & quē-
libet ſacerdotem, dum eſſet in peccato
mortali, nec eſſe Papam, nec ſacerdo-
tem, antequam reconciliaretur. Nam ſi
cum peccat, dicis Papam non peccare,
ſed hominem, ergo cum peccat, Papa
eſſe deſinit. Quo nihil magis eſt, quod
hæreſim ſapiat. Sed quæſo, non poteſt
errare Papa in functione miniſterii? vt
ſi iniuſte aliquem excommunicat? At dē

Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, &c. Baſilius de vita ſolitaria cap. 23. *Hoc ab ipſo Christo docemur, qui Petrum poſt ſe paſtorem Eccleſiæ ſuæ conſtituit: Petre, inquit, amas me, paſce oues meas: & conſequenter omnibus paſtoribus eãdem poteſtatem tribui, cuius ſignum eſt, quod omnes ex æquo, & ligant, & ſoluunt*. At quod dicit Durandus, Eccleſiam pro Papa paſtore Eccleſiæ continuo poſtulare, ita vt eum, vt ſolũ paſtorem, agnoſcat: Quid igitur in præfationibus Apoſtolicis ſibi vult Eccleſia, cum dicit, *Vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios, eidem contuliſti præeſſe paſtores?* Sed quomodo ſolus poteſt eſſe paſtor, qui eſt de grege, & paſtore indiget? & quomodo illi Claues ſoli datæ ſunt, in quem aliquando Claues exercentur? Nam ſi paſtoris officiũ eſt, ſoluere, & ligare, vt ait Baſilius, certe ille, cui Pontifex confitetur, in eum paſtoris officio fungitur, & Claues exercet. Gloſ. in c. nemo, 9. quæſt. 3. *Cum ſubmittit ſe Confeſſori ſuo, tenetur ei parere, & ligabit eum ſententia illius*. Rex non eſt abſolutus ſi

Digitized by Google

ni alius imperat, ſed potius is, qui impe-
rat: Sic Papa, nec eſt abſolutus paſtor,
nec abſolutus Clauium princeps, ſed
Eccleſia, quæ eum paſcit, & à peccatis
ſoluit, vi Clauium. Adde, ſi illi eſſen-
tialiter, vt vult Durandus, Claues com-
petunt, certe Papæ Confeſſionarius à
Papa poteſtatem habet ſoluendi: At
qui per alium facit, per ſeipſum facere
videtur: conſequens eſt, vt ipſemet, à
ſeipſo, abſolutionem conſequeretur:
quo quid abſurdius? Inſulſa autem eſt
opinió eorum, qui exuunt aliquando
Papam Papatu: & dicunt, hoc tanquam
quilibet, illud tanquam Papa. Et ea eſt
inter hæreſes Ioannis Vuicleff, & Ioan-
nis Hus, qui aſſerebant Papam, & quē-
libet ſacerdotem, dum eſſet in peccato
mortali, nec eſſe Papam, nec ſacerdo-
tem, antequam reconciliaretur. Nam ſi
cum peccat, dicis Papam non peccare,
ſed hominem, ergo cum peccat, Papa
eſſe deſinit. Quo nihil magis eſt, quod
hæreſim ſapiat. Sed quæſo, non poteſt
errare Papa in functione miniſterii? vt
ſi iniuſte aliquem excommunicat? At dē

hoc confiteri tenetur. Quod ſi iniuſte aliquem excommunicaſſe confitetur, certe & vt Papam erraſſe. Excommunicatio enim non eſt cuiuſlibet, ſed eſt Pontificis. At abſolutio datur propter tale peccatum: Igitur & in Papam, tanquam Papam, Eccleſia Claues exercet, & ille Eccleſiæ pabulo indiget. Canon autem nemo, 9. quæſt. 3. nullius eſt fidei. Primum auctor eſt incertus. Gratianus Innocentio, alii Sylueſtro tribuunt. In epiſtolis Innocentii nullus eſt. In ea autem ſynodo, quam referunt celebratam à Sylueſtro, eſt c. 20. Hanc ſynodum nuſquam fuiſſe patet, quod dicatur celebrata Conſtantino & Criſpo III. Coſſ. Eorum conſulatus incidit in annum 17. Conſtantini magni, quo tempore necdum Helena Chriſtiana fuit. Eius enim conuerſionem referunt ad 18. annum Conſtãtini, Niceph. & Marianus Scotus: quæ tamen Concilio ſubſcripſiſſe dicitur, quo nihil abſurdius, cum Chriſtiana non eſſet. Sed nec eos, vllius ſynodi ante Nicænam, mentionem feciſſe vſquam ſcriptum

eſt. Verum quî potuit Conſtantinus intereſſe ſynodo Romæ, qui erat Conſtantinopoli? Sed nec Damaſus; nec auctor epilogi huius ſynodi, illius Canonis meminerunt; licet quæ definita ſunt in hac ſynodo, referant. Addam, ex collectoribus Conciliorum, intollerabilem, nimiamque differentiam, & deprauationem, exemplariorum huius ſynodi, quæ & maxime mendoſa aſſeruntur. Sed ſufficiat ius ipſum; & vſus Eccleſiæ, quibus facile deprehenditur, qualem fidem huic canoni adhibere debeamus; vt oſtendi ſupra v. & x.

XIV. Nihil magis pertinet ad diſciplinam Eccleſiaſticam, quam frequẽs Conciliorum celebratio. At, vt Concilium ſit validum, certe illud præcipuum eſt, vt recte, rite, & legitime, cogatur. Igitur & cuius eſt diſciplina Eccleſiaſtica, & quorum eſt ſynodos indicere, & de iis qui ſynodo intereſſe poſſunt, diſputatio inſtituenda eſt. Quod erat Melchiſedech, rex & ſacerdos, à vero Rege & Pontifice Chriſto diuiſum eſt, vt neq;

Imperator Pontificis auctoritatem, nec Pontifex regale faſtigium vindicaret. Hæc diſtincta mutua ope indigent: A Preſulibus enim cauſas ſalutis expectāt Imperatores, & viciſſim, quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, legibus Imperatorum parent Antiſtiſtes. Gelaſ. in epiſt. ad Anaſt. Imp. Rectè, Publicæ diſciplinæ: quia quæ ſunt priuatæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ cancellos Eccleſiæ, vt ita dicam, non egrediuntur, aut, vt loquitur ſynodus Chalcedonenſis, quando regularia examinantur, ſolis Epiſcopis competunt, & viris Eccleſiaſticis. Sed quæ ad diſciplinā publicā ſpectāt, & regū & Epiſcoporū eſt diſpicere, quæ horum cēſuris, illorum gladio, vindicāda ſunt. Conſtantinus, cum ortas inter Epiſcopos multas cōtētiones vidiſſet in conſeſſu Nicæno, ad concordiam hortatus eſt eos, *Quod illos Deus conſtituerit ſacerdotes & poteſtatem dederit de nobis*, quoque inquit, *iudicādi: & ideo nos à vobis recte iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter*

Vos expectate iudicium. Et tamen idem Conſtantinus in Epiſcopos animaduertit; qui communicauerant excommunicatis, & eos eiecit ſedibus, & in exilium miſit; Theodoret. lib. 1. cap. 20. Vnde ſeipſum Conſtantinus Epiſcopum extra Eccleſiam cõſtitutum à Deo eſſe ait; vt Epiſcopos intra Eccleſiam; lib. 4. de Vita Conſtantini, cap. 24, Eadem verba refert Richerius, quæ sũt apud Euſebium: & tamen ea verba Euſebium ſcripſiſſe, putidum eſſe mendacium ait Valla pag. 121. Ipſe autem Valla, præuaricator, & calumniator impudentiſſimus, falſa pro veris, præſtigiator, obtrudit. Ipſiſſima enim verba ſunt Euſebii, ex verſione Chriſtophorſoni: *Vos*, inquit, *intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum.* Pro quibus ſuppoſuit Valla: *Vos eſtis Eccleſiæ Epiſcopi, ego vero exteriorum à Deo conſtitutus ſum.* A quo igitur putidum mendacium? an iis illud tollerandum; qui veritatis agũt vindices acerrimos? Nec enim Valla Porteſii, aut Chriſtophorſoni, interpretum Euſebii, verba

intra Eccleſiam vocetur, non à ſeipſo; ſed ab Epiſcopo. Sic & Patres primi Concilii Aurelianenſis ad Clodouæum Regẽ: *Vt ſacerdotalis mentis affectu, ſacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos, in vnum colligi iuſſeritis.* Vt enim Clodouæũ Patres Aurelianenſes dixerunt eſſe mẽtis ſacerdotalis affectu; ſic Conſtantinus Epiſcopus dictus eſt, quod eſſet mentis Epiſcopalis affectu, & quę eſſet veri paſtoris exequeretur; circa res Eccleſiaſticas, & diſciplinam Eccleſiaſticam. Sed & Valla Richerium reprehendit, quod dixerit eſſe Principum leges Eccleſiæ pro diſciplina præſcribere; Cõcilia generalia indicere, cauſas Clericorum cognoſcere, iudicare, leges pro Eccleſiis ſancire. At qui hæc ignorant, omnia ignorare fateantur neceſſe eſt. Pleni enim ſunt libri conſtitutionibus ſuper re Eccleſiaſtica ab Imperatoribus, & regibus, latis. Sufficiebant quæ dixerat Richerius, ad quæ Valla obmutuit: ſed cum hæc illi non ſatisfecerint, quædam præter ea quæ Richerius, adferam: Dauid tulit leges de diſciplina

Digitized by Google

Eccleſiaſtica Paralip. cap. 16. 23. 24. 25. & 26. Salomõ, lib. 2. cap 8. Ezechias iubet phaſe celebrari menſe ſecundo, Paralip. 2. cap 30. *Et datum eſt cor vnum*, inquit, *vt facerent ſecundum præceptum Regis*. Sed & alias leges tulit de Eccleſiaſtica diſciplina cap.31. Ioſias, cap.35. Machabæus, vt Encænia templi quotannis celebrentur, 1. Machab. cap. 4. & 7. quod feſtum & ipſe Chriſtus obſeruauit. Veterum Imperatorum conſtitutiones, quæ referuntur 13. primis titulis Codicis Iuſtiniani, ſunt omnes de diſciplina Eccleſiaſtica: Nouellarũ Iuſtiniani codex de ea fere totus eſt: Sed & de eadem ſunt conſtitutiones Imperiales omnes libri 2. Iuris Orientalis. Auguſtinus Epiſtola 33. ad Bonifaciũ Comitem: *Quis mẽte ſobrius regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur, vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus*. Opt. Mileuit. lib. 3. reprehẽdit Donatum hæreticum, quod diceret, *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia*? Hinc eſt, quod non ſolũ coactæ

Digitized by Google

ſint generales ſynodi ab Imperatoribus, non ſolũ præſides fuerint, vt Conſtantinus in Nicæna, Sozomenus lib. 1. cap. 19. Theodoſius in Cõſtantinopolitana, Sozomenus lib. 7. cap. 12. Martianus & iudices ab eo delegati in Chalcedonẽſi, qui & pronuntiauerũt, Canonẽ Nicænæ ſynodi de primatu Papæ, in exemplaribus illius ſynodi non reperiri, Conſtantinus in Conſtãtinopolitana in Trullo, ſed etiã confirmauerint auctoritate Imperiali, vt non ſolum Canonibus Chriſtiani, ſed etiã legibus ſecularibus, ad ea quæ erãt decreta, obſeruãda, eſſẽt obnoxii. Sed, vt Gallus, cũ Gallis agam, niſi hi patrię obliti ſint. In voluminibus Conciliorũ decem Cõcilia numerãtur Galliæ, coacta à Regibus noſtris ê Merouingiana familia: multo plura recenſentur à Gregorio Turonenſi, Adone, Aimoino, & aliis rerum Gallicarum ſcriptoribus: Ex Pipini familia extant Capitularia Regum, quæ omnia ad diſciplinam pertinent. Pręterea legem Lotharii, Legum Lõgobardicarum lib. 3. cap. 35. quam & Gregorius XIII. inſe-

ruit in fine c. de capitulis, Diſt. 10. Ademus tamen de Carlomanno lib. 5. Capitularium: *Per conſilium ſacerdotum, & Optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Epiſcopos: ſtatuimuſque per annos ſingulos ſynodum congregare, vt nobis præſentibus, Canonū decreta, & Eccleſiæ iura reſtaurētur, & religio Chriſtiana emendetur. Falſos vero presbyteros, & adulteros, vel fornicatores Diaconos, & Clericos, degradauimus, & ad pœnitentiam coëgimus.* Si hæc non ſufficiant, perlegant totum volumen Capitularium: in eo nihil aliud reperient, quam Reges Chriſtianiſſimos hoc iure, recte, & ipſis Pontificibus teſtibus, ſemper vſos fuiſſe. Hinc eliciuntur iura & libertates Eccleſiæ Gallicanæ, & appellationes ab abuſu, cum contra illa iura, & Canones Conciliorum generalium, aliquid ab Eccleſiaſticis, vel ipſo Pontifice innouatur. Quæ iura cum ip-
3 ſo regno nata & adulta ad nos peruenerunt. Quod autem ait Valla, non eſſe Principis cauſas Clericorum cognoſcere & iudicare, hæc verba non ſunt Gal-

li, immo neque illius, qui velit ſummam poteſtatem in Eccleſia Pontificibus tribuere, cum Bullis Martini v. aduerſentur, quas expreſſit Guido Papa. 1. queſt. & inſertæ ſunt in veteri Stilo Parlamēti titulo de priuil. Reg. Gal. Sed vſus quotidianus eum arguit vanitatis & ineptiæ. Tantum enim abeſt, vt ea quæ refert Valla, non ſint iuriſdictionis Regiæ, quin iuriſdictio Eccleſiaſtica à iuriſdictione ſeculari reſecata eſt, & mera liberalitate Principum Eccleſiaſticis attributa, cum iure diuino nulla eis cōpetat. *In terra eorum nihil poſsidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Iſrael.* Numer. 18. Leui ſacerdotium, Iudæ Regnum defertur, Leui tertius origine, Petrus tertius vocatione. At quod reges liberaliſſime in eos contulerunt, recte & iure ab eis poſſidetur, non iure diuino, ſed gentium & Ciuili. Iure dixi: Quia in lege noua non prohibitum. Nec aliud Richerius, quem tamen hæreſis inſimulant, quaſi bonis temporalibus illis interdicat. Ex iis, quæ ſupra dixi-

mus, patet, non ſolum Pontifices, ſed ſeculares Principes, leges tuliſſe de diſciplina Eccleſiaſtica. At quibus competit ius ſciſcendi leges de diſciplina Eccleſiaſtica, certe & cogendæ ſynodi. Synodus enim eſt arx, & fundamen-
4 tum, totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quantum ad ſynodos particulares Galliæ, Germaniæ, & Hiſpaniæ, nullos alios coëgiſſe, præter reges, tota teſtatur hiſtoria: & tamen paſſim Canones earum obſeruat Eccleſia, vt neceſſarium ſit dicere, illas iure & rite coactas. Nam quis dicet legitimum Canonem, à non habente poteſtatem? At qui illos Canones condiderunt, non Pontifices, ſed ſolos reges auctores habuerunt. Quod ad generalia Concilia attinet, certum eſt, ſolos Imperatores Chriſtianos, non Pontifices, prima Concilia coëgiſſe. Quod autem iure fecerint, vnico argumento, ſed inuictiſſimo illud probabo. Ea ſola Concilia ab Eccleſia recepta ſunt, quæ ſunt legitime coacta, & ab habentibus poteſtatem: Atqui ſoli Imperatores quatuor priora generalia Con-

Digitized by Google

cilia, quæ, vt quatuor Euangelia, ſuſcipit, & veneratur Eccleſia, coëgerunt: Ergo poteſtatem cogendæ ſynodi habent Imperatores, & ab iis coactę legitimę ſunt. Oblatret quantum voluerit Valla, & hæreſim eſſę manifeſtam pronuntiet, qui ait pag. 128. *Hæreſis manifeſta, nihil ſanctius & diuinius, & quod magis poteſtatem iuriſdictionis Pontificiæ arguat, quam Concilia Oecumenica: eorum tamen conuocationem & indictionem noſter Anonymus, cum Luthero, Caluino, & cæteris hæreticis ad Principes refert.* At neutrũ affirmauit Richerius. Ita odium & paraſitatio hominẽ obcæcat. Nam quod dicit Richerius, in facto duntaxat verſatur, non in iure. Longe aliud eſt dicere, iurene, an iniuria, coacta eſſe, vt ait Richerius: aliud id ius cogendæ ſynodi abſolute ad Imperatorem pertinere. Coacta quidem ad Imperatoribus aſſerit, quod eſt facti: ſed an id iure fecerint Imperatores, non diffinit. Quod ſi illa generalia Concilia, quod coacta ſint ab Imperatoribus, licet nobis impugnare, quanta feneſtra aperietur Arianis, Ma-

cedonianis, Neſtorianis Eutichianis, & aliis hæreticis, qui eorum decreta hoc nomine impugnare poſſunt, vt illegitima, & edita a non habentibus poteſtatem? Nititur tamen probare ex ſacra ſcriptura, hoc ius eſſe Pontificis, pag. 128. ***Nūquam eſt***, inquit, ***legitimum Concilium, niſi ſit in nomine Chriſti coactum, Matthæi 18. id eſt, ab eo, qui eius vices gerit, nempe ſummo Pontifice.*** Hæc Valla. Verba Matthæi ſunt: *Si duo vel tres congregati ſint in nomine meo, in medio eorum ſum.* At, ſi in nomine Chriſti, eſt ab eius vicario fieri, cum panis in ſacroſancto ac tremendo ſacrificio in nomine Chriſti cōſecratur, an id interpretandum à ſummo Pontifice? Cum baptiſmus confertur in nomine Chriſti, id eſt, ab eius vicario? Cum in nomine Chriſti dæmonia eiiciuntur, id eſt, ab eius vicario, ſummo Pontifice? O tempora! Si duo ſunt congregati in nomine meo, id eſt,
5 à meo vicario? Quaſi Nicænum, quod Conſtantinus: Conſtantinopolitanum, quod Theodoſius: Epheſinum, quod Theodoſius iunior & Valentinianus:

Chalcedonenſe, quod Martianus: Cō-ſtantinopolitanum ſecundum, quod Iuſtinianus: Conſtantinopolitanum in Trullo, quod Conſtantinus coegerunt, licet id fecerint in nomine Chriſti, ſint reiicienda? Hos enim Imperatores coëgiſſe illas ſynodos tota teſtatur hiſtoria, & Iuſtinianus in epiſtola ad Conſtantinopolitanam ſynodum apud Cedrenum, & ipſi Pontifices c. ſancta, 15. diſt. ſed & ipſe Valla pag. 132. De Nicæno, Euſebius lib. 3. de vita Conſtant. cap. 6. *Concilium generale tanquam quendam Dei exercitum inſtruens, in vnum locum coegit, & Epiſcopos vndique per literas honorifice ſcriptas, vt eo maturarent, acciuit.* Socrat. lib. 1. cap. 6. *Cum igitur Imperator videret his duabus contentionis tempeſtatibus* Eccleſiam *vehementer iactari, generale Concilium conuocat, atque Epiſcopos vndique per literas accerſit, vt Nicæam vrdem Bithyniæ ſe conferant.* Theodoretus lib. 1. cap. 7. *Vbi ſpes eum fefellerat, celebre illud Nicænum Concilium cogit.* De Conſtantinopolitano, Theodoretus lib. 5. cap. 6. *Qui vt primum Imperium obtinuit, Eccleſiis*

præ cæteris rebus diligenter proſpicere cœpit, & vt Epiſcopi ſuæ ditionis Conſtantinopolim ire maturent imperat. Et cap. 7. *Theodoſius Epiſcopos Conſtantinopoli in vnum conuenire mandauerat. Qui cum omnes ad centum quinquaginta numero eo aduenißent* &c. Sozomenus lib. 7. cap 7. *Breui deinde Concilium* Epi*ſcoporum ſibi conſentientium conuocauit, partim vt Nicæni Concilii decreta confirmarentur, partim vt ordinaretur aliquis, qui Conſtantinopolitanæ ſedis* E*piſcopatum adminiſtraret. Conuenerunt igitur centum & quinquaginta*, &c. De Epheſino, *Secundum ſanctionem piißimorum & amicorum Chriſti Imperatorum Theodoſii & Valentiniani, congregata in* Eph*eſia Metropoli ex omni, ſicut dicitur, mundo.* &c. Act 1. Concilii Chalced. De Chalcedonenſi, *In nomine* D*omini noſtri Ieſu Chriſti, Conſulatu piißimi, ac amatoris Chriſti, Imperatoris, Flauii Martiani, perpetuo* A*uguſti, ſub die* VIII. *eid octob. indict* IIII. *in Chalcedonenſi ciuitate Metropoli prouinciæ Bithyniæ, facta eſt ſynodus, ex decreto piißimorum, & fideliſsimorum Imperatorum, Valentiniani, & Marciani.* Act. 1. De Conſtan-

Digitized by Google

tinopolitano ſecundo Euagrius lib. 4. cap.37. *Iuſtinianus quintũ Conciliũ cõuocauit*. Et actione 2. huius ſynodi, *His proximis diebus præcedente pio iuſſu Chriſto amantiſsimi, ac à Deo cuſtoditi Imperatoris noſtri, conuenit præſens nunc ſancta ſynodus*. Et de ſexta in Trullo, *Conueniente ſancta & vniuerſali ſynodo, quæ ſecundum Imperialem ſanctionem congregata eſt in hac à Deo conſeruanda Regia vrbe*. Quid, quod Cedrenus affirmat, eam ſolam ſynodũ Oecumenicam dici, quæ ab Imperatoribus coacta eſt? Ad quos igitur errorum ſcopulos officioſa iſta mendacia nos impellunt, vt quod de Chriſto Deo, & ſacro eius nomine, dictum eſt, ad ipſum Romanum Pontificem referri, velint nobis perſuadere? Quam melius illud Matthæi interpretatur Cæleſtinus in epiſtola ad Epheſinã ſynodum? *Spiritusſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius in Euangelio iſta ſententia eſt, Vbi duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum*. Non Spiritus ſancti

præſentiam refert ad coactionem Concilii à Pontifice factam, quippe non à Pontifice, ſed à Theodoſio facta eſt, ſed ad congregationem ſacerdotum. At, quod aiunt, vt fucum faciant, Concilia illa coacta à Pontificibus, ſed in his cogendis operam præſtitiſſe Imperatores, ſicque congregata auctoritate, & conſenſu, Pontificum, quæ ſupra notauimus, gerras germanas eſſe ſatis demõſtrant. Tum quod Valla ait, Syluestrum, ſeu Iulium, coegiſſe Nicænum, act. 16. ſynodi in Trullo, fallitur bonus vir, nec in 16. actione de hac ſynodo Syluestri aut Iulii vllum verbum reperies. Conſtantinopolitanum autem Concilium coactum eſſe à Damaſo ope Theodoſii, ex Theodoreto lib. 5. cap. 9. falſiſſimum eſt. Immo Epiſcopi, qui erant cõgregati Conſtantinopoli, cum Pontifex eos ad Concilium, quod Romæ celebrabat inuitaret, aucupatis literis Imperatoris, vt eos Romam euocaret, Eccleſias ſuas relinquere noluerunt, & illi epiſtolam ſcripſerunt, per quam, tempeſtatem contra Eccleſias excitatam ſi-

gnificabant, & in ea re eorum (Epiſcoporum Occidentalium) negligentiam ſubnotabant, doctrinamque Apoſtolicam perſtringebant. Hæc Theodoretus lib. 5. cap. 8. & 9. Conſenſum autem 6
Pontificis neceſſario accedere, vt ſint valida Concilia, vix mihi perſuadebunt. Nicolaus I. acerrimus Pontificię auctoritatis propugnator, epiſt ad Michaël. Imperat. *Quædam Concilia, quæ conſenſum Romani Pontificis non habuerunt, ſuam valitudinem perdiderunt*. De quibuſdam ait: ergo quædam, ſine conſenſu illius facta, valida, ipſo teſte, fuerunt. Quid quod & Concilia poſſunt cogi inuito ſummo Pontifice, vt ſupra demonſtrauimus? Quis ad hoc æui de validitate Concilii Piſani dubitauit, in quo Alexander V. in Pontificem electus eſt, cuius coactioni nec Gregorius XII. nec Benedictus XI. conſenſerunt? Quod ſi dicant, At hoc propter ſchiſma: Illud igitur generale non eſt, vt Concilium ſit validum, conſenſum Pontificis accedere debere. Sed & Concilium contra Marcellinum eo inuito coactum eſſe, ex eo apparet,

quod idolis thurificaſſe ſæpius negauit. Quid, quod Ancyrana & Neocæſarienſis ſynodi ante Nicænam celebratæ, quæ tantum abeſt vt conſenſu ſeu iuſſu Papæ coactę ſint, quin eas prouincias Victor à cõmunione ſeparauerat, quarum tamen decreta ab omnibus Chriſtianis, & ab ipſis Pontificibus, recepta ſunt? Sed nec Spiritus ſancti præſentiam arguit conſenſus Pontificis. Coactionis enim ſecundæ Epheſinæ ſynodi, quæ poſtea latrocinium Epheſinum à Chriſtianis dicta eſt, conſenſum præbuerat Pontifex, immo in eam Legatos miſerat; quod magnæ inſcitiæ Vallam & Durandum arguit, ſed quod non fuerit facta ſecundum Canones. Nam Flauianum ſanctiſſimũ Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſuis allegationibus vti noluerunt, & voces, quæ à ſynodo dictæ non ſunt, actis inſeruerunt, ac puris chartis compulerunt Epiſcopos ſubſcribere, iniquitatem operati contra diuinas regulas, & contra legum conſequentiam: hæc ſunt verba Concilii Chalcedonenſis. Nec diſſimilia Hilarii

Digitized by Google

Diaconi Eccleſię Romanæ, qui conſenſu Pontificis interfuit, in epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam. Cur autem Ariminenſe Concilium ſit profanum, & nullam aliam cauſam eſſe, quam quod auctoritate & conſenſu Pontificis coactum non ſit, alioquin ſibi aliam adferri rationem poſtulat Durandus. Eos certe ignorantia hiſtoriæ Eccleſiaſticæ nutare in rebus certiſſimis facit. Nam qui minus Sardicenſem ſynodum damnent, quam coactam auctoritate Imperatoris, non Pontificis, refert Athanaſius Apolog. 2? Immo quare damnãt Ariminenſem, in qua Vrſatius & Valeẽs denuo Eccleſia ſunt exacti, quod Nicænæ fidei non conſentirent, & fidem ſecundum Nicænos Patres, Ariminenſes profeſſi ſunt, de quibus extat epiſtola eius ſynodi ad Conſtantium Imperatorem? Sed quare ſuſpecta fuit ſynodus Eccleſiæ, vt ſatisfaciam Durando, dicam. Soluta ſynodo Vrſatius & Valens Ariani, ope Conſtantii Imperatoris item Ariani, nouam fidem, qua ſimilem patri filium, non conſubſtantia-

Digitized by Google

lemi, aſſerebant: Et quam in ſynodo Ariminenſi legerant, multos Epiſcopos per vim confirmare, & ei ſubſcribere cogunt, ac ſi eſſet à ſynodo Ariminenſi decreta: & idem Conſtantius Valenti Eccleſias Occidentis permiſit, & iuſſit fidem, quę lecta erat Arimini, publicare, non autem quæ circa fidem decreta erant: quæquidem fides ita conficta erat, vt ſagaciores falleret, ita vt, quemadmodum ait Hieronymus in Luciferianos, ingemuerit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miraretur. Hac igitur ratione Ariminenſe inter Concilia non numeratur, quod non decretum ſynodi, ſed tantum fides ab hæreticis in eo lecta, publicata ſit. Sed illis condonetur Concilia generalia coacta eſſe cõſenſu Pontificis. At quam longe differunt, coacta conſenſu, aut auctoritate? Hæc enim imperium arguit, ille minime. Idem enim poſſemus dicere de Patriarcha Antiocheno, vel alio, cuius conſenſu congregata ſunt: & hoc eſt nimium leue ad probandum, coactionis ius eſſe ſolius Pontificis. Ius autem illud Imperator

tori competere, eſſe contrarium iuri naturæ, hac ratione probat Valla, quod latius imperium Eccleſiæ, quam Imperii. Ridiculum. Nam temporibus ſex priorum Conciliorum generalium certum eſt, totum orbem Chriſtianum Imperatoribus fuiſſe ſubiectum, tum multas alias nationes, ad quas Chriſti nomen nondum peruenerat. Sed quia ſenſit inepta hac ratione, quod vult efficere non poſſe, ad alia ſubſidia recurrit, & dicit hoc iuri Canonico aduerſari: Prohibitum enim à Marcello ſynodos generales ſine conſenſu ſummi Pontificis fieri. Quid ſi idem prohibuiſſet Hieroſolymitanus Patriarcha, num ob id diceremus illud ius ei competere? Nam ſi velit probare quod nititur, certe prius probãdum erat hoc potuiſſe Marcellum vetare. Sed nec Marcellus dicit, quod ipſe Valla. Certe piget toties hominem vanitatis arguere, quem mentiri non pudet. Marcellus enim non à ſe, ſed ab Apoſtolis, illud conſtitutum refert. Artificioſe Valla Marcelli verba ſupprimit, quod Primatum ab Apoſto-

Digitized by Google

lis, & eorum ſucceſſoribus, Epiſcopo Romano datum ſcribat: Quod Chriſto tantum, non Apoſtolis, acceptum referunt: tum quod Canon Apoſtolicus, cuius meminit Marcellus, à Valla
7 edendus eſſet. Sed alias monuimus has epiſtolas valde ſuſpectas. Epiſtolam Marcelli diligens lector attendat, ſtatim iudicabit principium & finem inuicem ſibi non coherere. Finis quidem epiſtolæ optimum Patrem, & ſanctiſſimum Pontificem ſapit: Initio autem nihil agit, quam de his quæ ad maieſtatem ſummi Pontificis ſpectant. Epiſtola ad mala pullulantia reſecanda, vt ipſe ait, ſcribenda erat: At de iis, quæ initio ſcribit, nullam fuiſſe controuerſiam apud Antiochenos ex fine epiſtolæ apparet, An ſit caput iuxta Apoſtolorum ſanctiones, Vt nulla ſynodus fieri poſſit, præter eius conſenſum, Vt Epiſcoporum iudicium ad eum referatur. Et paulopoſt, Paſtoralis ergo cura officii nos admonet &c. Illud (ergo) eſt verbum cauſatiuum, & illa verba, Paſtoralis cura officii, indicant ſuper his, quæ priori

parte Epiſtolæ dixerat, eſſe decernenda: at quæ ſequuntur ad præcedentia nullo modo referri poſſunt. Quod ſatis demonſtrat principium epiſtolæ eſſe ſuppoſititiũ. Adde quod in Nicæna ſynodo decretum eſt, quæ prouinciæ ſubſint Antiocheno Epiſcopo, ex veteri conſuetudine, vt prouinciæ Occidentales Romano, quod videtur epiſtolæ Marcelli repugnare. Addam, quod poſt Marcellum, ſynodus Antiochena, in qua Paulus Samoſatenus damnatus eſt, longe ante Nicænam celebrata eſt inconſulto Pontifice Romano. Poſtremo illud quod dicit de iudicio Epiſcoporum, quis non videt verba eſſe Sardicenſis Concilii, quinquaginta annis poſt Marcellum celebrati, quod omniũ primum cenſuit iudicia Epiſcoporum ad ſedem Romanam referenda, quod tamen nuſquam priſcis temporibus obſeruatum, tota teſtatur Conciliorum hiſtoria, vt ſupra monuimus. Quod ſi dixerint eadem verba eſſe epiſtolæ eiuſdem Marcelli ad Maxẽtium Tyrãnum, quæ canoniſata c. 1. Diſtinct. 17. quis

credat hæc Marcellum maximo omnium tyranno, Chriſtianorum perſecutori acerrimo, ſcripſiſſe? Hoc rationi & ſenſui repugnat. Verba ſubiicere placet, *Synodum ergo abſque huius ſanctæ ſedis auctoritate, Epiſcoporum, quanquam quoſdam Epiſcopos poßitis congregare, non poteſtis regulariter facere, neque vllum Epiſcopum, qui hanc appellauerit Apoſtolicam ſedem, damnare, antequam hinc ſententia finitiua procedat, &c.* An ea verba, Synodus, Auctoritas ſedis Apoſtolicæ, Congregatio Epiſcoporum, Regulariter, Apoſtolica ſedes, conueniunt tyranno, à nomine Chriſtiano alieniſſimo, vt & reliqua epiſtolæ, quæ conflata eſt tota ex locis ſcripturæ, quam nauci non faciebat, & cuius ſedis maieſtatem ita magnifecit, vt Marcellum ſanctiſſimum Epiſcopũ, cuſtodiæ beſtiarum præfecerit, quarum fętore & pędore confectus interiit? Hęc abſurdiſſima. Sed & huius epiſtolæ Eccleſiam puduit. Nam licet ſit canoniſata, tamen eius non fit mentio in lectione, quæ recitatur in feſto Marcelli. Quod autem ad epiſtolam Iulii attinet,

quæ laudatur ex Socrate lib. 2. cap. 11. Nec ea, quæ apud Socratẽ ſunt, bona fide refert: Eccleſiaſtici enim Canonis à Iulio apud Socratẽ nulla fit mẽtio, *Epiſcopiſque Oriẽtalibus mãdat, quatenus Epiſcopi condemnati à Cõcilio Orientaliũ, ſuis ſedibus reſtituerẽtur: qui Cõcilio acto, grauiter Iuliũ reprehẽdunt, oſtẽduntque, ſi qui, eorũ arbitrio, Eccleſia forte exacti eſſẽt, rem ab eo nõ debere decerni.* Hęc Socrates. Quæ autẽ ait Valla de epiſtola Iulii, non nego eſſe in epiſtola Iulii, ſed ipsã epiſtolã, non Socratẽ laudare debebat. Sozomenus lib. 3. cap. 9. *Legẽ eſſe ad ſacerdotii dignitatẽ ſpectantẽ, quæ pronuntiat, acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur.* Verũ & Iulius, & Sozomenus, aiunt, ſed non probant. Nihil enim in Concilio Nicæno tale reperies. Et Gratianus hoc ſenſit, cum licet hoc decretum ad Nicænam ſynodum referat Iulius, tamen illud Iulio, non ſynodo, tribuerit c. nullus, 5. quæſt. 4. Quod autem non reperiatur inter decreta Concilii Nicæni, teſtes ſunt compilatores Conciliorum, qui notant hoc in Concilio

Digitized by Google

Nicæno non inueniri. Hæc autem iuri diuino, & naturæ, & rationi, repugnant. Nam nec Concilium contra Marcellinum, præter eius ſententiam coactũ, nullum eſſe, nec legitimum, vllus ad hoc æui affirmauit: quod de aliis Conciliis dicendum eſt, de quibus ſatis, ſuperque. Ex his igitur, quæ ſupra diximus, colligendum eſt neceſſario, validitatem Conciliorum, ſeu generalium, ſeu particularium, neque à coactione à Pontifice facta, neque à conſenſu eiuſdem, neque à confirmatione pendere. Et dummodo coacta ſint in nomine Chriſti, & vere inuocetur Spiritus ſanctus, & nihil aliud, quam veritas quæratur, valida eſſe, Canoneſque Conciliorum particulariũ vim accipere à totius vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu, vt ſint lo-
8 co Canonum generalium. Quod ſi liceat, quod ad me attinet, dicere quæ ſentio, certe credo multo melius, & decentius, coactionem generalium Conciliorum à Pontifice maximo fieri, & præſertim poſt diuiſionẽ Imperii. Nullus enim in terris poteſt dici Oecume-

Digitized by Google

nicus in temporalibus: in ſpiritualibus, certe Pontifex. Vnde ſi quis ex noſtris Regibus, vellet ſynodum generalem indicere, ab Epiſcopis alterius prouinciæ impune ei nõ obtemperaretur. At Principes Papam ſuperiorem in ſpiritualibus, vt totius Eccleſiæ vniuerſalis caput, agnoſcunt ita vt facile ad Pontificis ſententiam de ſynodo congreganda, accedant, quoties hoc vſus Eccleſiæ poſtulabit. Deinde licet diuiſa ſit Eccleſia, tamen Patriarchæ Orientales, inuitati à Papa, venire non abnuent, qui & Papam primum Patriacham, & ſedem Romanam, principem ſedium Patriarchalium, fatentur, & illum omnibus Epiſcopis, cuiuſcumque nationis, præeſſe. Sic & Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Conſtãtinopolitanus & Hieroſolymitanus Patriarchæ interfuerũt: Ita vt certiſſimum ſit potius ad Pontificem Romanum his temporibus coactionem Conciliorum pertinere, quam ad quoſlibet, ſeu Eccleſiaſticos, ſeu ſeculares. Reſtat vna quæſtio ab Antipoliticis propoſita, quæ validitatem huius 9

Concilii Baſilienſis reſpicit, quod quidã presbyteri in illud vocati fuerint, & grauiter reprehẽdunt Richerium, quod dixerit, nonmodo Epiſcopos, ſed & presbyteros curas animarum habentes, in ſynodos vocari ſolitos. Durandus pag. 27. Pelletarius pag. 20. Valla pag. 67. At quibus modis Hieronymum laudatum à Richerio lacerant! parum abeſt, quin eum Aërianum dicant, quod presbyteros æquet Epiſcopis. Verum cum hæc dicunt, & Papas erraſſe non animaduertũt, qui inter Canones hunc Hieronymi textum inſeruerunt. Sed quibus rationibus id reprehendunt videamus. Richerii verba hæc ſunt, *Porro Senatum aut conſilium natiuum Eccleſiæ à Domino inſtitutum vocamus, nonmodo Epiſcopos, verumetiam omnes presbyteros curã animarũ habentes.* Et paulo poſt, *Etenim quondam presbyteri Eccleſiam in commune regebant, vt diuus Hieronymus auctor eſt, c. legimus, 93. diſtinct.* Hactenus Richerius. Sed & ipſe Hieronymus idem affirmauit c. olim, 95. diſt. quem vltimum locum impugnat Pelletarius, licet Riche-

rius huius Canonis mentionem non fecerit, ſed Canonis legimus, 93. diſt. Et Auguſtinus idem, quod Hieronymus affirmat, cum Epiſcopos maiores eſſe presbyteris, non aliunde, quam ex vſu teſtatur, c. quanquam, 2. quæſt. 2. Aduerſus ea inſurgunt igitur, & aiunt, Epiſcopos ſolos in Conciliis generalibus & Oecumenicis ſuffragio definitiuo gaudere. Sed illud de ſe, ſine ſcripturę teſtimonio, aut Patrum. Addit Durandus, in Concilio Nicæno Curatos non ſubſcripſiſſe, ſed ſolos Epiſcopos: Et in Chalcedonenſi conclamatum, Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt: Et in epiſtola Theodoſii, *Illicitum eſt eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis miſceri tractatibus*. Itane eſt, qui volunt aliquem reprehendere, ſuas opiniones pro inuictiſſimis argumentis, pro ſcriptura, pro auctoritatibus Patrum liceat nobis obtrudere? maxime cum & illi, quem reprehendunt, aſtipuletur Hieronymus Eccleſiæ Doctor: ſed & Auguſtinus, & ipſi Pontifices, qui bis in corpore iuris

Canonici Hieronymum idem dicentem inſeruerunt, & cuius opera in ſynodo Canonica decreuerunt? Idne eſt argumentum caritatis, an odii? Sed hoc ſigillatim diſcutiamus. In Concilio Hieroſolymitano non ſolum aderant Apoſtoli, quorum vices tenent Epiſcopi, ſed etiam ſeniores, & Eccleſia, Act. 15. Cuius ſi definitionem eſſentialem ſolummodo admittimus, vt vult Valla, illi non ſolum presbyteri, ſed omnis grex fidelium intererat. Concilio Nicęno multos Chorepiſcopos interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe, patet ex eius actis, primo tomo Concil. Erant autem Chorepiſcopi, preſbyteri duntaxat, quod nos docet Damaſus in epiſtola de Chorepiſcopis, ſeu Villani, aut Villatici, quos proprie Curatos dicimus: qui erant vicarii Epiſcopi in villis, & pagis, ab Epiſcopis miſſi, poſt manuum impoſitionem. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. cap. 9. ait interfuiſſe Concilio 250. Epiſcopos, preſbyteros, Diaconos, & Acoluthos. Athanaſius Diaconus adfuit, Gregorius in orat. funeb. in Athanaſ.

Qui maximam partem Concilii, contra Arium ſuſcepti, ſuſtinere viſus eſt. Sozomenus lib. 1. cap 16. Quæ verba ſatis oſtendunt ius ſententiæ habuiſſe. Sed & Syluestri vicarios, presbyteros tantum fuiſſe conſtat. Inter Patres Conſtantinopolitanos, Petrus, frater Baſilii magni, & Diodorus, numerantur à Theodoreto, lib. 5. cap. 8. qui non erant Epiſcopi, nec inter Epiſcopos numerati. In ſynodo Epheſina, Philippus preſbyter Eccleſię Romanæ Legatus, & Euſebius, Legatus Epiſcopi Claudianopolitani, & multi alii: & in Chalcedonenſi, Bonifacius preſbyter ſedis Apoſtolicæ Legatus, & multi preſbyteri ſubſcripſerunt. Antipolitici ea tempora non aggrediuntur. Sed quid actum ſit in poſterioribus Conciliis videamus. In ſynodo Conſtantinopolitana, ſub Iuſtiniano, nominantur Theophanes, & Pelagius Diaconi Romani, quidam ſubdiaconi, Stephanus Diaconus Legatus Epiſcopi Cæſareæ, Maximus preſbyter & Heraclius Diaconus, & multi alij: In ſynodo in Trullo, multi preſbyteri, & Mona-

chi recenſentur: In Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. Abbates 12. Priores Conuentuales 800: In Concilio Florentino ſub Eugenio IV. multi Diaconi Græcorum ſubſcripſerunt, & multi Abbates Occidentales. En veſtram fidem! At quis vos docuit, preſbyteros, & Diaconos, non habuiſſe ius definitiuæ ſententiæ, vt aures duntaxat accommodaſſe videantur? Et quo auctore hęc dicitis, qui ad reprehendendum Hieronymum, ſanctiſſimum Doctorem, ita vos comparaſtis? Sed quid de eo ſentiant Theologi Pariſienſes audiamus. Gerſo Tractat. de origine iuris & legum, *Cæterum de voce diffinitiua, & quales eam habeant. Non eſt dubium de Epiſcopis, & ſuperioribus Prælatis, ſicut iuxta prædicta practicatum ſæpius inuenitur in prioribus Concilijs. Sed neque videtur ambiguitas eſſe de minoribus Prælatis, qui ſunt Curati, & Hierarchæ, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum ordinem reducuntur, quibus non ex priuilegio ſolo, ſed ex ſtatu, & ordinario iure, competit animarum cura.* Idem Almainus lib. de ſuprema pote-

ſtate Eccleſiaſt. *Nam ſunt duo ſtatus Hierarchici in Eccleſia: Status, ſcilicet, Prælatorum ſuperiorum, & inferiorum. Vnde in tali Concilio debent intereſſe ſinguli Epiſcopi. Similiter ex parte cleri & Curatorum, de ſingulis Epiſcopatibus aliquis debet intereſſe, & tales habent vocem & auctoritatem deliberandi in Concilio.* Valeat igitur opinio exotica noſtrorum Theologiſtarum, qui Richerium, quod veterum ſequitur auctoritatem, tanquam nouę doctrinæ aſſertorem, impetere non erubeſcunt. Verum quare addunt noſtri antiqui Doctores, In Conciliis generalibus, & Oecumenicis, cum aiunt Epiſcopis ſolis competere ius definitiuæ ſententiæ? Si hoc ad Concilia generalia reſtringunt, certe in ſynodis particularibus admitti fatentur. Quod ſi hoc cōcedunt, quare & Hieronymum & Richerium reprehendunt, qui eo loci de Conciliis generalibus nōn loquũtur? Quod ſi in ſynodis particularibus admittunt, quare in generalibus non id faciant non video. Si enim æque in Con-

Digitized by Google

ciliis particularibus hæreſes damnantur, ac in generalibus, & eorum ſententiæ tota acquieſcit Eccleſia, vt idem effectus ſit particularium, quam generalium, certe idem ius conſtituendum eſt. Has autem ſynodos maxima ex parte, non Epiſcoporum dũtaxat, ſed preſbyterorum, & Diaconorum fuiſſe conſtat. Victor ad Concilium Romanum vocauit Epiſcopos, & preſbyteros, & Diaconos. Arabianis duobus interfuit Origenes, in quibus damnata eſt Berylli hęreſis, Euſeb. lib. 6. cap 26. & 30. Poſt exceſſum Fabiani habita eſt ſynodus Epiſcoporum, preſbyterorum, Diaconorum, ſede Romana vacate, in qua & preſbyteros ſententiam definitiuam dixiſſe patet ex Cypriano epiſt. 7. lib. 2. quę eſt preſbyterorum, & Diaconorum Romanorum: qui & Concilium coëgerunt ſede vacãte. Cornelius coëgit ſynodum ſexaginta Epiſcoporum, totidem preſbyterorum, & amplius, vna cum Diaconis, in qua hæreſis Nouati damnata eſt, Euſeb. lib. 6. cap. 35. Nec ideo minus condemnatus in Concilio Romano

Nouatus, quam ſi eſſet à generali, cum æque eius condemnationem omnis Eccleſia amplexata ſit. Antiochenæ ſynodo, in qua damnata eſt hæreſis Pauli Samoſateni interfuerũt presbyteri, & Diaconi, Euſeb. lib. 7. cap. 22. & 24. Eoſque dediſſe ſententiam definitiuam docet epigraphe epiſtolæ huius ſynodi. In ſynodo Romana contra Marcellinum; erant trecenti Epiſcopi, triginta presbyteri, tres Diaconi, qui condemnationi ſubſcripſerunt. Hilarius Diaconus in epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam ſignificat adfuiſſe Concilio Epheſino 2. Bonifacius III. coëgit Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum, triginta presbyterorum, trium Diaconorum, in quo priuilegium ſibi conceſſum à Phoca, vt Oecumenicus vocaretur; promulgatum eſt. Concilium coactum à Nicolao II. Epiſcoporum, presbyterorum, & Diaconorum, qui ius ſententiæ definitiuæ habuerunt; narrat Regino. Ex his patet quam male reprehẽſus ſit Hieronymus, & ille, qui eum ſequutus eſt; quod dixerit, olim presbyteros cum E-

piſcopis Eccleſiam rexiſſe. Quod autem Durandus, ex Concilio Chalcedonenſi, id eadem fide refert, qua ſæpiuſcule alia. Locum enim excîdit: Integer ſic habet, *Ægyptii, & qui cum eis erant, Epiſcopi, clamauerunt, Petimus ſuperfluos foras mitti, Epſcopos Imperator vocauit, ſynodus Epiſcoporum eſt.* Ægyptij foras mitti petebant, quos Imperator in Cõciliũ non euocauerat: & non agit de preſbyteris, quorum nulla fit mentio. At, vt fucum nobis faceret, ait hæc dicta à ſynodo, cum eſſent colligenda ſuffragia. Vtrumque falſiſſimum. Nec enim à ſynodo dicta hæc, ſed ab Ægyptiis duntaxat, qui Dioſcoro Patriarchæ ſuo fauentes, omnia perturbare conabantur: idque prima Actione, cum tertia duntaxat dictæ ſententiæ aduerſus Dioſcorum. Vide quam bonus eſt ille Durandus. Quod ad Theodoſii epiſtolam attinet, illa de Cãdidiano Comite Strenorum domeſticorum, non de preſbyteris, loquitur. Ex his patet Concilium Baſilienſe nihil præter conſuetudinem Eccleſiæ feciſſe, ſi preſbyteros in Concilium

cilium

cilium euocauerit, licet dicant factum fuiſſe, in locum Epiſcoporum abſentium: ſed tamen nihil efficiunt. Fatetur enim Valla pag. 67. Epiſcopos ſeceſſiſſe, poſt Eugenii IV. depoſitionem, quæ facta eſt ſeſſ. 34. Articuli autem de Concilij auctoritate ſupra Papam, promulgati ſunt ſeſſ. 2. & confirmati ab Eugenio ſeſſ. 16. Igitur, & ipſo Valla iudice, hæc decreta impugnari eo nomine non poſſunt.

Digitized by Google

HÆC OMNIA DOCVISSE, veritatis doctorem, Gerſonem, inter Theologos Pariſienſes principem, ex inferioribus videre eſt.

In tract. de poteſtate Eccleſiaſt. Conſideratione duodecima.

POteſtas Eccleſiaſtica Papalis, non ita habet dominia & iura terreni ſimul, & cæleſtis Imperij, quòd poſſit ad libitum ſuum de bonis clericorum, & multo minus laïcorum diſponere: quamuis concedi debeat, quòd habet in eis dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum, & ordinatiuum. *Et poſt*: Conſurgit ex aduerſo blandiens & ſubdola adulatio, & ad aures Eccleſiaſticorum, præcipuè ſummi Pontificis inſuſurrans, ô quanta eſt, quanta ſublimitas Eccleſiaſticæ poteſtatis tuæ! ô ſacer clere, quam nihil eſt ſecularis auctoritati tuæ comparata! Quoniam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ſic eam Chriſtus omnem Petro ſuiſque ſucceſſoribus de-

Digitized by Google

reliquit. Vnde & nec Conſtantinus quicquam Syluestro Papę cõtulit, quod non eſſet prius ſuum, ſed reddidit iniuſtè detentum. Porro ſicut non eſt poteſtas niſi à Deo, ſic nec aliqua temporalis, vel Eccleſiaſtica, Imperialis, vel regalis, niſi à Papa, in cuius femore ſcripſit Chriſtus, Rex regum, & dominus dominantium, de cuius poteſtate diſputare inſtar ſacrilegii eſt, cui neque quiſquam dicere poteſt, Cur ita facis? ſi etiam temporalia omnia, ſi Eccleſiaſtica bona atque dominia mutauerit, diruperit, diſtraxerit. Mentior, ſi non inueniuntur hæc ſcripta ab illis etiam, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis: Si præterea non inueniuntur fuiſſe per aliquos ſummos Pontifices hæc credita. Notum eſt illud Satyrici,

Nihil eſt quod credere de ſe
Non poſſit, cũ laudatur Dÿs æqua poteſtas.

Et illud Comici de adulatore,

Hic profectò ex ſtultis inſanos facit. Sẽtiens autem adulatio quandoque nimis ſe cognoſci, ſtudet quaſi modeſtiori ſermone depreſſius vti, vt credibilior appareat.

Concedit ſeculari poteſtati poſſeſſiones & iuriſdictiones proprias, quas tollere nequit pro libito Papa. Recognoſcit Conſtantinum, vel alios Principes, aliquid Eccleſiæ nouiter contuliſſe: Nihilominus tradit, quòd ſummus Pontifex ſupremus eſt Monarcha, nedum in ſpiritualibus, ſed temporalibus, habens poteſtatem hanc immediatè à Chriſto, ſed alij Reges omnes & Principes ſuam recipiunt dominationem ab eo, & ſolū mediatè à Deo: alioquin vt monſtruoſus eſſet hic mundus ſi haberet tot capita, quæ non ſub vno regerentur, rediretque Manichæi deliramentum, ponentis duo principia, vnum bonorum & ſpiritualium, aliud malorum & temporalium. *Et paulo poſt*: Concedit item adulatio, quòd potens eſt jus ſuum alteri tollere, & quòd nec ab eo appellari, neque eum iudicialiter euocare, nec obedientiam ab eo ſubtrahi, præſertim extra caſum hæreſis, ſit aliquatenus poſſibile. Hic ſolus ſymbolum fidei condere, hic ſolus cauſas eiuſdem fidei, & maiores cæteras tractare poteſt. Solus diſ-

Digitized by Google

finitiones, regulas, leges, Canones condit. Alioquin quicquid per alios diffinitur, decernitur, conditur, ſtatuitur, irritum eſt & inane. Nec aliquid ex eis, quæ ſtatuerit, poteſt infringi & caſſari, niſi per ipſum. Fallor ſi non ante celebrationē huius ſacroſanctæ Conſtantienſis ſynodi ſic occupauerat mentes plurimorum literalium magis, quam literatorum, iſta traditio, vt oppoſitorum dogmatiſator fuiſſet de hæretica prauitate vel notatus, vel damnatus. Tandem, miſerante Deo, moderatrix diſcretio, colluſtrante lumine legis Euangelicæ, mediam ac regiam viam tenens, inter deuios errores extraneos detractionis, & adulationis, ponit hanc conſiderationem duodecimā cum prioribus, tanquam ſignum aliquod oſtenſiuum itineris recti, ne forte offendant ad lapidem erroris pedem ſuæ inquiſitionis ſcrutatores veritatis, &c.

Et in tractat. errorum circa confeßiones.

Quod nulli, quantuncumque multiplicati, poſſint condere legem obligan-

tem, niſi ſummi Pontificis aduemat auctoritas. Quòd Concilium generale, ſine Papa, nunquam habere poteſt poteſtatem niſi limitatam. *Et inferius*: Quòd gladii ſpiritualis ſuprema poteſtas eſt in Papa legitimè præſidente, & reſidente, totaliter, quoad executionem talis gladii, & non tunc in Concilio generali. Quòd gladii ſpiritualis ſuprema poteſtas reſidet in Eccleſia inſeparabiliter, quoad iuriſdictionem, ſeparabiliter verò quoad executionem. Quòd gladii ſpiritualis ſuprema poteſtas ſic eſt in Papa legitimè præſidente, & reſidente, quòd ad approbanda vel in reprobanda in Eccleſia, ſolus ipſe haberet diffinire, & non Concilium generale. *Et paulo poſt*: Quòd in omni Concilio generali, in quo Papa legitimè præſidet & reſidet, vox ſua ſic præponderat vocibus totius reſidui, quòd nihil poſſunt diffinire ſine eo, nec ipſum ad aliquod quomodolibet obligare.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 19 lin 4. cap 3. cap. 10. 23. verſ. 19. denũtiatione, de denuntiatione. 25. verſ. 4. *Ecclesia*, *Ecclesia* 31 pen. proſcript. præſcript. verſ. 5. His, Hæ. verſ. 24 *Episcipo Romanu*, *Episcopo Romano*. 33. verſ. 16. ſit, fit. 34. verſ. 13. Hydroparaſtatus, Hydroparaſtatas. 37. verſ. 9. *Discorum*, *Dioſcorum*. 39. verſ. 5. ſynodum. Cõcilium. ſynodali Concilij. 40. 11 *ſanctis*, *A ſanctis*. verſ. 21. in marg. 2. 45. verſ. 3. impudentiſſimè, dele ,. 46. verſ. 22. Villico, villico. 48. verſ. 11. in marg. 6, 9. 50. verſ. 16. cenſores, qui, cenſores reſpuunt, qui. 51. verſ. 14. Gallicanæ quæ, Gallicanæ, quæ. 52. verſ. 9. in marg. 31, 13. 57. 10. in marg. 1. 68. 10. dele ?. 69. 25. Sarcenſis Concilium; Sardicenſis Conſilium. 75. 18. Condoctores eius, Condoctor eius, nec Pelletarius. 76 verſ. 2. ſiue, ſine. 79. 17. deferretur, deferrentur. verſ. 1. præſides, præſidis. 89 verſ. 16. *dicis*, *dicit*. 22. *induas*, *in duas*. 91. pen. *peccatam*, *pacatam* 93. 1. 8, 18. 94. 19. At, Et. verſ. 19. ſubſtituit: impiiſſime, ſubſtituit. Impijſſime. 96. 18 Apoſtolorum. qui, Apoſtolorum, qui verſ. 23. in marg. 1. 97. 19. *nauis*, *animata*, *nauis*: *animata*. 102 verſ. 9. in marg. 3. 106, 105 & ſic ad 113. 109 quæ eſt 108. 21. ad, ab. 112. quę 111. verſ. 10. Coactionis, Coactioni. 113. quæ 112. verſ 1. aſſerebant: Et, aſſerebant, &c. 113. verſ. 2. ſcribat: Quod, ſcribat, quod. 120. verſ. 22. Strenorum, dele.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

135

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google